

SCRIVERIUS Petrus

ANECDOTA POETICA

ELEGIARUM LIBRI TRES

(6724 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des 'PETRI SCRIVERII OPERA ANECDOTA PHILOLOGICA ET POETICA', parue en 1737 chez Hermannum Besseling.

La qualité très inégale de l'impression (encrage, transparence du papier) a rendu la numérisation du texte délicate.

I

ELEGIARUM LIBER PRIMUS (1422 vers)

PROSOPOPOEIA SYLVAE - DUCIS PAULO ANTEQUAM CAPERETUR.
IN HONOREM ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS, HENRICI NASSAVII ARAUSINI.

| | | |
|------|-----|---|
| E1_1 | v.1 | Urbs Nova dicebar, tribus urbibus addita quarta, |
| | 2 | nescia sed bello cedere Sylva tribus. |
| | 3 | Quin etiam canos mea dextera computat annos, |
| | 4 | Orthunumque meum charta celebrat anus. |
| | 5 | Esto : Lovanium Normannica castra loquatur, |
| | 6 | ac Dyla cantatis moenia findat aquis. |
| | 7 | Archiducum Bruxella duplex pallatia jactet, |
| | 8 | et Castellanos tollat in astra suos. |
| | 9 | Imputet Antigoni domitori Antwerpia nomen, |
| | 10 | projectam Scaldis verset in amne manum. |
| | 11 | Aut si conficti ridet commenta Brabonis, |
| | 12 | eligat Eligium, quem studiosa colat ; |
| | 13 | Clementemve, : ut agat clementius Orbis ocellus, |
| | 14 | damnet et incerta somnia sparsa fide. |
| | 15 | Advaticos frustra, haec Grudios volet altera frustra, |
| | 16 | Caesare non aures hic adhibente suas. |

17 Ast ego, nec falsae jactem cunabula gentis,
18 prima Ducis volito Sylva per ora virum :
19 illa ego Sylva Ducis, quamquam ultima Sylva quadrigae,
20 quamquam impar annis, non pietate, feror.
21 Hic, hic triga meo fasces submitit honori,
22 ex quo Dommelias Oda frequentat aquas.
23 Romaque Taxandro crevi celeberrima pago ;
24 impletur bellis pagina tota meis.
25 Jam dudum excepi Gelros : vix ductus aratro
26 sulcus erat, vix haec moenia jacta loco ;
27 Rhenus in excidium, Vahalesque, atque accola Mosae
28 venit, et infesta turba Batava manu.
29 Grassatum flamma, grassatum cuspide ferri,
30 vixque ullum in toto corpore corpus erat.
31 Fleverunt Busci cives lacrimabile bustum.
32 Reddor in antiquam sed renovata decus.
33 Nunc quoque Sylva Ducis, domino fidissima Regi,
34 docta Sicambre tuas subterhabere minas ;
35 Hollandumque trucem. Nam quid me terreat Heusda,
36 heu nimium muris invidiosa meis !
37 In mea jam primo saevitum viscera motu,
38 inque novae partes relligionis agor.
39 At ne (difficili patriam turbante tumultu,
40 et Capitolinam concutiente fidem)
41 moribus antiquis obrepere frigora possint,
42 me novus Antistes calfacit igne suo.
43 Atque ita Virgo ferox sacris suffulta, Virisque,
44 (si nescis, cives Martia corda gerunt)
45 inviolata steti, multosque intacta per annos,
46 mille petita procis, mille negata procis.
47 Aspicit invictum me gens contermina claustrum ;
48 aspicit, ac in me tot bona clausa dolet.
49 Splendida vicinos invitat fama Batavos,
50 cinctaque Arausino milite Virgo premor ;
51 atque aliqua frangor. Moxque intercepta secundo,
52 Hollachum jussi protinus ire foras.
53 Verum ubi Mauricii miror velocia castra,
54 templaque sulfureis tot lacerata globis ;
55 candentesque pilas video volitare per aedes,
56 hei ! Prope in hostiles ire coacta manus ;
57 spes mea in Alberti gladio, et glacialibus undis.
58 Nec sperata hosti gaudia spondet hiems.
59 Sic demum a coepta sese obsidione recepit
60 ductor Arausiades, et cito castra movet.
61 Non tamen hanc curam Mavortius abjicit heros,
62 obsidio Sylvae sed repetita placet.
63 Quamque negavit hiems, autumnus sidere messem
64 sperat, at incassum : sentit adesse Ducem.
65 Et damnans multo staturum sanguine Martem,
66 invisam invita mente reliquit humum.
67 Munito haud sidens vasto, validisque catervis.
68 Fallor ? An et Pluvio supplicat Oda Jovi.
69 Ut non Albertus tantum, sed et ingruat imber,
70 qui faciat medio castra natate solo ;
71 non prohibente ipsa, qua sunt educta, palude.
72 Quid facis ? Ah, alio trajice tela tua.
73 Auxilium Ostendae debes, miserisque Batavis,
74 tertia quos pressos jam prope bruma videt.

75 Nil agis hic ; clausos sacra protegit Infula cives,
76 et Virtus patrios excubat ante focos.
77 Praesidium ut jaceam et Grobedonchi militis arma,
78 exstimulat cives gloriae priva meos.
79 Militiae veteres acuunt tela, horrida tela,
80 et quae Nassovio sanguine tincta velint.
81 Prosternet totas Bertholdica flamma phalangis,
82 et nisi cum damno Sylva petenda tuo.
83 Sic persto incolumis, ferro patientior omni,
84 atque illibati virginitate fruor.
85 Et de me nullus lustris bis quinque triumphus
86 ducitur. Ah ! qui me ceperit, ecquis erit ?
87 Ecquis ? An indomitae zonam sibi spondet amicae
88 Impiger Henricus, qui prope castra locat ?
89 Et quaquaversum vallatam indagine cingit,
90 ut via nulla rotis, et via nulla rati.
91 Jam mihi perniciem video excidiumque parari ;
92 experior strictas in mea fata manus.
93 Experiorque viros, et cedere nescia corda.
94 Quid reliquum afflictatae ? Quid, nisi vincla pati ?
95 Atque iterum e Busco reddi lacrimabile bustum,
96 quale sub auspiciis, Didrice, saeve tuis.
97 Ecce alias clades oracula Delphica spondent.
98 Acer hic (heu, vereor) Didricus alter erit.
99 Agnosco natos nunc in mea damna Batavos :
100 Belgarum poterat cetera turba nihil.
101 Delusus toties, merito se vindicat hostis,
102 et placet e nostris lecta corona jugis.
103 Heu, quis Phoebe tuus petulanti Splene cachinno
104 Nunc volet austeros nec sine felle jocos !
105 Heu, nata iratis nocitura poemata Mysis !
106 Hei mihi, quam Vrienti charta inimica fuit,
107 Vrienti Ganda tui : damas leporesque sonare
108 ausa, atque in nasum ludere, Maure tuum.
109 Cedere non didicit, sed caedere frater Iberos,
110 victricesque aquilas usque referre domum.
111 Castra vides, et qua me cinxerit ille corona,
112 dicere quae vere Regia castra potes.
113 Agnoscis, quantus succedat moenibus heros,
114 quam vigil, et vitae prodigus ipse suae.
115 Quam felix laurique potens victricibus armis,
116 et cui Belgarum non habet ora parem.
117 Prodeat in campum, spolia et captiva trahuntur
118 agmina : mactatis ossibus albet humus.
119 Haec mecum reputans, invictum herosa timerem ;
120 sed quando blandi conspicio ora ducis,
121 ora notas belli placidamque gerentia pacem ;
122 pacem, inquam, nostris inferet ille locis.
123 Atque erit innumeris potior pax una triumphis.
124 Hac dominum ejurem dedita lege meum,
125 excipiamque novum. Quid tum ? Ducis ante ferebar
126 invicti dicar nunc quoque Sylva Ducis.
127 Vivam pacifero, vivam sub principe miti :
128 dummodo sic, habeas res tibi, Ibere, tuas.

HISTORIA CANUTI, REGIS ANGLIAE, ETC.
AD CL. V. ABRAHAMUM HEIDANUM, S. S. THEOL. DOCT. ET PROFESS.

E1_2 v.1 AD Regem quicumque maris jus deferet omne,
2 et Mare Claudentis sentiat esse capax ;
3 discat ab exemplo Regis meliora Canuti :
4 assentatores, discat, inepta loqui.
5 Oceanum inspectans, residensque in litore curvo
6 Rex ; maris instantem cedere jussit aquam :
7 "Disce, inquit, leges, et habenas disce Britannas ;
8 quantulacumque, mea sub ditione fluis.
9 Ut Terrae Dominus, sic et Maris esto Canutus ;
10 serviat adstrictis Ennosigaeus aquis.
11 Et jubet (o ! nullas sortite Tridentifer aures !
12 O ! vana, et rapido verba ferenda Noto !)
13 Sta mare, sta ; praecepta tibi ne limina transi :
14 hanc certe pictam tangere parce togam."
15 Dixerat ; insurgunt decumanis fluctibus undae,
16 nec dubitant sacros Regis adire pedes ;
17 cruraque caeruleo madefiunt tincta liquore :
18 et trahit e salso gurgite syrma notam.
19 Ille abit, et surdas nequicquam questus ad undas :
20 "Arbitrii non est res, ait, ista mei.
21 Numinis est quodcumque fluit Mare ; Numine plenum,
22 imperium salsae Rex homo nescit aquae.
23 Abdidit, indignum generoso nomine Regis,
24 quem nolit Dominum Tethyos unda suum.
25 Non alius Mare, quam Rector frenabit Olympi :
26 quis Terrae famulas tam bene junget aquas ?
27 Aurea quin etiam capiti detracta corona est,
28 ad Servatorem jussa redire suum.
29 Jam Maris Imperium sibi nuperus arroget Anglus,
30 Heidani, et Batavis libera vela neget ;
31 sed male procedit : Rex judicet ipse Canutus,
32 qui modo, si vivat, Carolus alter erit.

PROSOPOPEIA BREDAE URBIS,
MEMORABILI EXPUGNATIONE DOMINO SUO FREDERICO HENRICO A NASSAU ETC.
FELICITER RESTITUTAE, AESTATE ANNI MDCXXXVII.

E1_3 v.1 Illa ego Principibus quondam dilecta duobus,
2 dignaque quam peteret praeda Brabantus eram.
3 Breda vetus (memini) gaudebam Hollandica dici :
4 scilicet ambigui juris in Historia.
5 Hinc irae, insidiaeque Ducis, cui proxima sylva,
6 et simul Orteni paruit ora soli.
7 Jam cum pro Breda staret Theodorus in armis,
8 provolat Henrico miles in arma Duce.
9 Et, quia Gradivi fortuna volubilis errat,
10 ac permutatas gaudet habere vices,
11 Hollandus capitur. Qui tunc jus omne remisit :
12 et lutrum tanti Principis ipsa feror.
13 Quid loquar hic notam Godefridi tempore Bredam ?
14 Obsita quid foedo nomina prisca situ ?
15 Quid Grimbergano morientia pectora bello ;
16 quid Janos geminos Sigeriosque crepem ?

17 Arclae et Iselstenae dominos, duo fulmina Martis,
 18 miserat illustri terra Batava domo.
 19 Ignorant monumenta, meo genus unde Dynastae,
 20 caraque sub densa pignora nocte latent.
 21 Et latet Henricus, qui Lidekerkia Bredae
 22 nomina subjunxit. Tu quoque Raso lates.
 23 Quisquis es, o, tantis immerse Philippe tenebris,
 24 nobile declaret qui genus, ecquis erit ?
 25 Eruta fumosis quid curem nomina chartis ?
 26 Sidera Leccanae sunt potiora domus.
 27 Splendidius micat hoc productum nomen ab astro.
 28 Quo Nomenclator ? Certior ista fides.
 29 Vendidit Hollando, Polana gente, Brabantus :
 30 agnoscit Dominos sic quoque Breda suos.
 31 Et regina meis Hollandia fascibus aucta est.
 32 Inde genus nostrum ; non aliunde sumus.
 33 Incertum quo jure licet Divae negabis,
 34 ex isto Dominus stemmate Janus erat.
 35 Unica Nassavios admirans nata triumphos,
 36 innexa est thalamis, Engeleberte, tuis.
 37 Dotalem tenuit gens illustrissima Bredam ;
 38 haec aditum, ad Belgas haec patefecit iter.
 39 Hinc etiam titulis accessit Arausio tantis ;
 40 inde Cabillonum nomina nota mihi.
 41 Quid ! Philiberteae Chalonia munera cerae
 42 votaque summa ducis dememinisse potes ?
 43 Ille reluctantes Italos ad frena coegit :
 44 Pontificum tutas reddidit ille dapes.
 45 Dumque triumphatum pro Caesare pugnat in hostem,
 46 et tibi Parthenope jam vice Regis erat,
 47 occidit, aeternam nactus per vulnera vitam :
 48 ossa Cabillones, viscera Tuscus habet.
 49 Audierat, numerans partas Proserpina palmas,
 50 haud juvenem credit, sed putat esse senem.
 51 At cur sparsa locis est Principis umbra duobus ?
 52 Uno non poterat tanta ruina capi.
 53 Ille juventutis princeps, ille alter Achilles
 54 Gallicus, ad Stygias (heu !) cito missus aquas.
 55 At bene, Nassavio quod Claudia juncta marito ;
 56 quod soror insigni non sine prole parens.
 57 Hac ego crediderim Philibertum matre renatum.
 58 En tibi Nassavia stirpe Renatus adest ;
 59 primus Arausionum Princeps, Chalonia gestans
 60 fercula ; vix fatis interitura meis.
 61 Henricum sileam ? An structa me mirer in Arce ?
 62 Quam formidandum tunc mihi crevit opus !
 63 Vixerat improlis : sed te, Gulielme, salutat
 64 heredem. Quid ni, digne vir, arma geras ?
 65 Defendasque tuae surgentia moenia Bredae :
 66 nullus et in tota sit ditione malus.
 67 Et te vicinis veneretur Avenio terris,
 68 Pontifices timido post habitura sinu.
 69 Liberaque heroem nunc jactet Arausio tantum ;
 70 et tibi, vel soli serviat illa Deo.
 71 Interea Belgas turbat civilis Enyo,
 72 et furit admissis Mars cataphractus equo.
 73 Mittitur Hispanis atrox Albanus ab oris,
 74 nescius in corio se retinere suo.

75 Egmondæ atque Hornæ comites capite, ecce, minores ;
 76 tamquam hic Servili sit lacus : ite foras,
 77 ite mei cives ; et tu, Gulielme, cavebis,
 78 aut eadem, trunco corpore, fata manent.
 79 Excidi ego stanti pro libertate Camillo :
 80 metata est patrios pertica Regis agros.
 81 Infandus raptor tot aenea sustulit arma :
 82 hei, tot Caesareæ pignora amicitiae !
 83 Cetera quid memorem scelera, atque indigna relatu ?
 84 Luctifer, ah ! vere Lucifer ille fuit.
 85 Quidve meos casus, quid moenia capta retexam ?
 86 Haec brevis in magnum pagina crescat opus.
 87 Intercepta dolo nunc has, nunc labor in illas
 88 aut Domini, aut hostis (signa notate) manus.
 89 Mauritio tandem (niveo res digna lapillo)
 90 Auspiciū famæ Breda recepta dedi.
 91 Non oppressa fame, non expugnata frequenti
 92 fulmine, mortiferos aut male passa globos,
 93 restitutor Domino, tantillo sanguine fuso ;
 94 astu, non armis, et patefacta via est.
 95 Iliā feta feri Trojani, credite cives :
 96 en simile. Accepit fabula prisca fidem.
 97 Nulla poetarum culpa est, rem credite gestam :
 98 historia Iliaci nunc renovatur equi.
 99 Attrahitur navi solito pro caespite miles,
 100 ne male praesidium frigus in Arce necet.
 101 Sic, Hispanæ, dabis calido mihi sanguine poenas ;
 102 sic fiam excusso libera Breda jugo.
 103 Cive quater senos requiem numerante per annos,
 104 a vidua tandem (proh mea fata !) petor.
 105 Vellet Arausinum cum perdere femina, parcit :
 106 et lenta cives obsidione premit.
 107 Nimirum multo staturum sanguine Martem
 108 damnat, et aurifero ventilat arma Tago.
 109 Protinus immensa cingor diu virgo corona ;
 110 nec nisi devicta, Spinola castra moves.
 111 Non horres hiemem, non longi incommoda tractus :
 112 Nassaviæ horres nec, Ligurine, manus.
 113 Pila vides Domini cunctator, et irrita rides :
 114 haud ita de manibus praeda ruenda tuis.
 115 Non ferro, sed victa fame (nec machina pulsat)
 116 undecimo dedor, Spinola, mense tibi
 117 Urbs vetus exhausto Tartessi Rege redempta ;
 118 ccur nova (pace tua) Breda minoris ero ?
 119 Firma age me vallis, et acuta cupidæ palis ;
 120 milite, tormentis denique mitte Tagum.
 121 A sumptu potero sic vere Regia dici ;
 122 sarta Philippeo tectaque tota pecu
 123 debet Iasonio vestiri vellere Princeps :
 124 non patre, non proavis ille minora facit.
 125 Ille suæ Bredæ celso celsissimus instat
 126 vectus equo ; sequitur cetera turba ducem.
 127 Ut Domino reddar, pia vota Batavica solvit
 128 non longum obsidium, sed violenta manus.
 129 Major uter ? Toto se Spinola jactet in anno ;
 130 Henricus paucis ista diebus agit.
 131 Si nunc Andinus calamos instaret Apollo,
 132 Henrico ferrent saecula nulla parem.

LAUDATIO INCLYTAE URBIS ROTERODAMI, ET D. ERASMI IN EA NATI.

El_4 v.1 Pande fores, urbs, pande fores ; age, cardine moto
 2 accipe virtuti debitaserta tuae :
 3 accipe Pieria nuper mihi lusa sub umbra
 4 carmina, in Augustas prompta venire manus.
 5 Non tamen est animus commenta retexere, non quae
 6 ossa Giganteae molis habere potes.
 7 Nec mihi materies dederit qui nominis ortum
 8 Roterius, nec tot somnia carmen erunt.
 9 Non petere ex alto causas vel origine Franca,
 10 vendere neu vanos ulla lubido logos.
 11 Mendaces odi : procul hinc Hieronymus esto,
 12 et Tragomontano si quis amicus erit.
 13 Non mihi sunt curae fluidae tectoria linguae,
 14 sed iuvat Historica verba ligare fide.
 15 Pande fores, urbs, pande fores, tibi militat ista
 16 Pieris, et cives excolit illa tuos.
 17 Semper enim Batavos ad caeli caerulea vexit,
 18 pro Patria qui tam fortiter arma gerunt,
 19 ad Veterum exemplum : quorum acta illustria Consul
 20 nobilis in chartas rettulit ipse suas :
 21 ille animi ingentis Tacitus, nullo ore tacendus ;
 22 delictum Lipsi, delictumque meum.
 23 Quid ! Quod et hos ipsos quoque saxa loquantur amicus
 24 fratresque Imperii, maxima Roma, tui.
 25 Tuque, Urbs, jampridem meruisti fortibus ausis,
 26 a Batavis ne te degenerasse putem.
 27 Nunc auctoratos in proelia mittis alumnos,
 28 accendisque tuos quo potes aere duces.
 29 Ardua nunc docto stipas Capitolia coetu,
 30 et populum mira dexteritate regis.
 31 Hinc tua laus caelo contermina pervolat orbem,
 32 pervolat, o, nullo deperitura die.
 33 Et de siderio venit tibi nomen Erasmo,
 34 Qui facit ad Mosam tam mihi dulce solum.
 35 Gratulor hanc illi Patriam, tibi gratulor illum ;
 36 gratulor illum (inquam) fata dedisse virum.
 37 Macte, o, pro multis tibi millibus unus Erasmus,
 38 summus Hiantheae potor Erasmus aquae.
 39 Delictum humani generis, vox orbis Erasmus ;
 40 par cui nemo fuit, par quoque nullus erit.
 41 Barbariem nostris hic primitus expulit oris,
 42 et docuit culto cum Cicerone loqui.
 43 Ausonias invexit opes, invexit Athenas,
 44 Argolicis mixtus Tibris ut iret aquis.
 45 Hic vir hic est, qui tot taetris a faucibus Orci
 46 asseruit cultu sub potiore Patres,
 47 pro quibus officiis hunc excepere Britanni,
 48 et Scotus, et blando Teutonis ora sinu.
 49 Astur et huic magnos, habuit quoque Gallus honores ;
 50 grataque Doctori postuma turba sumus.
 51 Non tamen invidia liber vir tantus ab omni,
 52 obtrectatores nunc habet ille suos ;
 53 atque habuit semper : sed quos nihil ille moratus
 54 perstitit a sera posteritate legi.

55 O bene ! Nunc celsa Momum prospectat ab arce,
 56 ridet et ingrati temporis afanias.
 57 Hoc, Urbs, hoc tanto divo mihi jure beata es ;
 58 multus et hunc propter te peregrinus adit.
 59 Teque colit, Geniumque loci : Chrysostomus olim
 60 venit ad Arctoae frigida regna plagae,
 61 explerique oculos nequirit ; nunc strata viarum,
 62 totaque adulari moenia visa sibi.
 63 Visaque amabilius spirare quid undique tellus,
 64 purius hac caeli parte venire jubar.
 65 Vernari vicinus ager, ridere salicta
 66 mollius, hic nempe natus Erasmus erat.
 67 O si Pegaseo mihi flumine pectus inundet
 68 Cynthus, et toto proluat amne caput ;
 69 permutetque suo mea rancida carmina plectro ;
 70 inferias illi ferre libido foret.
 71 Nunc inter Cynos metuo ne garrulus Anser
 72 arguar haut tanto dicere digna viro.
 73 Scaliger ille heros obitu confusus amici
 74 maxima perdidicit nomina posse mori.
 75 Flevit et Alciatus sacrum ac venerabile funus,
 76 ivit et in maestos Musa Sabina modos.
 77 Fleverunt Sapidi, nostri flevere Secundi ;
 78 et desiderium flevit Apollo suum.
 79 Hic ego quid possim, cum tot praestantia cernam
 80 nomina municipem composuisse tuum ?
 81 Quin aliis intacta canam, domitumque profundum ;
 82 quisquis ades linguis vir mulierque fave.
 83 Tuque, Urbs magna, fave, positoque tricuspide ferro
 84 hoc age, da Musis otia parva meis.
 85 O, Urbs, jure tuo Pelagi tibi tradita cura est,
 86 et tua jam dici se Thetis ipsa cupit.
 87 Quae nunc quando jubes, extollet in aethera fluctus,
 88 nunc iterum fastus est positura suos.
 89 O Urbs, ille tuus vasti maris incola civis,
 90 qui nec tanti hiemes flabrae saeva facit,
 91 duplice captura capitur, nec fallitur umquam,
 92 ut cui Cymodoce ridet et ipse Deus.
 93 In sua nunc pinguem compellit retia piscem,
 94 et stupet ad praedas ipsa sagena suas.
 95 Nunc et in Hispanas jaculatur fulgura classes,
 96 truxque homines captos avehit inde domum.
 97 Avehit et clavum, victaeque triremis aplustre,
 98 telaque, quae patriis consecret apta tholis.
 99 Interea Jani soboles jactatur in alto
 100 urbis, et ad quaestus ingeniosa suos ;
 101 nunc cum Italis, Afris, cumque ipsis transigit Indis,
 102 ista Philipporum dicta superba cohors.
 103 Hic ubi structa domus celebrataque nomine Bursae
 104 area, porticibus quam bene nixa suis !
 105 Hic ubi non noster, sed et alter confluit Orbis ;
 106 o mihi cur isto non datur axe frui !
 107 Non ego praetulerim viridaria Daedala Leidae,
 108 non hilares Sparni lene fluentis aquas.
 109 Dulce foret varios hominum perdiscere mores,
 110 ad medium Jani dulce sedere foret.
 111 Hic ubi Tritones, Phorcique exercitus omnis,
 112 iret in obtutus et Thetis ipsa meos.

113 Hic videam Busas obniti fortiter undis,
 114 et pede non uno velificare rates.
 115 Hic placidum inductis everrere retibus aequor,
 116 et videam lembos pisce gravare suos ;
 117 istud Neptuni genus, istud nobile pectus,
 118 in mediis vitam quod bene quaerit aquis ;
 119 Halecemque refert Hollanda per oppida caram.
 120 Hei mihi ! quam dulce haec ista videre foret.
 121 Quid ? Quod et ipse rates emittere strenuus optem,
 122 et pelagum pinu sollicitare mea,
 123 atque ipsi pecori squamoso tendere casses,
 124 et bene condito pisce redire domum :
 125 litoribusque suis populos exponere captos,
 126 aut medio salsos explicuisse foro.
 127 Optem, inquam, has Veneres propius propiusque tueri,
 128 et, si fas, lusus, o Galatea, tuos.
 129 Tritonisque hilares vellem inspectare choreas,
 130 cum vario faciles ordine pingit aquas.
 131 Has inter vellem lentas inflectere tonsas,
 132 aut dare per caecas carbasa tensa vias.
 133 Vellem inter Scyllam, caligantemque Charybdin
 134 (ne quis ne molli me fore corde putet)
 135 cum sociis istas Cronii maris ire per undas,
 136 ipsa meae tantum sis Cynosura rati.
 137 Ad Bromii vellem trans Herculis ire columnas,
 138 per Tabin ignotas vellem aperire vias.
 139 Taprobanamque ultra dites lustrare Moluccas,
 140 seu magis Austrini pandere claustra Freti.
 141 Haud timidus transire feras atque horrida monstra,
 142 quae mare, quae tellus, quae Nova Zembla tenet.
 143 Vellem, inquam, tractare Orbem, qui Tertius audit
 144 hicque tot invisae regna videre plagae.
 145 Paulo aliter tamen ac noster Septentrio vidit,
 146 a Magellanis qui modo venit aquis.
 147 Hei mihi, quot rediit spoliis oneratus opimis ;
 148 post quot Iberorum colla resecta, domum !
 149 Non placet hoc specimen. Sed viderit ipse senatus ;
 150 sat mihi me Musis posse placere meis.
 151 Ite procul lites, queruli procul ite libelli ;
 152 atque esto, quidquid Bartolus esse velit.
 153 Cerberus haud ego sum, nec causis natus agendis ;
 154 natus at in laudes ire Poeta tuas,
 155 o Urbs, o Batavae non infima gloria terrae ;
 156 o Urbs vel solo cive superba tuo.
 157 Tritonisque hilares vellem inspectare choreas,
 158 cum vario faciles ordine pingit aquas.
 159 Has inter vellem lentas inflectere tonsas,
 160 aut dare per caecas carbasa tensa vias.
 161 Vellem inter Scyllam, caligantemque Charybdin
 162 (ne quis ne molli me fore corde putet)
 163 cum sociis istas Cronii maris ire per undas,
 164 ipsa meae tantum sis Cynosura rati.
 165 Ad Bromii vellem trans Herculis ire columnas,
 166 per Tabin ignotas vellem aperire vias.
 167 Taprobanamque ultra dites lustrare Moluccas,
 168 seu magis Austrini pandere claustra Freti.
 169 Haud timidus transire feras atque horrida monstra,
 170 quae mare, quae tellus, quae Nova Zembla tenet.

171 Vellem, inquam, tractare Orbem, qui Tertius audit
 172 hicque tot invisae regna videre plagae.
 173 Paulo aliter tamen ac noster Septentrio vidit,
 174 a Magellanis qui modo venit aquis.
 175 Hei mihi, quot rediit spoliis oneratus opimis ;
 176 post quot Iberorum colla resecta, domum !
 177 Non placet hoc specimen. Sed viderit ipse senatus ;
 178 sat mihi me Musis posse placere meis.
 179 Ite procul lites, queruli procul ite libelli ;
 180 atque esto, quidquid Bartolus esse velit.
 181 Cerberus haud ego sum, nec causis natus agendis ;
 182 natus at in laudes ire Poeta tuas,
 183 o Urbs, o Batavae non infima gloria terrae ;
 184 o Urbs vel solo cive superba tuo.

PROSOPOEIA BELGICAE, EX TABULA GULIELMI CAESII.

E1_5 v.1 Esto : peregrinis quondam jactata procellis
 2 langueram, tantis vix satis una malis.
 3 Nunc, (quod mireris,) longis exercita bellis,
 4 formosum caelo Belgica tollo caput.
 5 Pace aliae florent gentes, ego Marte feroci.
 6 Si tamen ejuret bella superbus Iber,
 7 damno libens multo staturum sanguine Martem ;
 8 dummodo sint populo libera regna meo.
 9 Sin ; pacem quoque damno libens, et Erynnias omnes
 10 malo, Philippaeo quam dare colla jugo.
 11 Nec sinat Hollandus : cujus vis vivida bello
 12 Hispanas didicit subterhabere minas.
 13 Gradivi Plutique potens meus ille, tyrannos
 14 indocilisque pati : cetera Pacis amans.
 15 Quam si spondet Iber, qui nunc petit otia belli,
 16 protenus in Turcas transferet arma Leo.

AMSTERODAMI ECLOGIUM

E1_6 v.1 Non nunc, Scaldigenae, vestra incluta templa, domosque,
 2 non Trinobantum, magne Britanne, tuum ;
 3 non nunc Hadriacis Venetos miramur in undis,
 4 sed magis Amsteliis edita tecta vadis ;
 5 tam sterili fundata loco, mediaque palude,
 6 quae videas ipsi sed dare jura mari ;
 7 atque sali bonitate solum pensare malignum.
 8 Credibile est, summos sic statuuisse Deos ;
 9 munus et armigeris hoc concessisse Batavis,
 10 ne solo Antverpo Belgica clara foret.

AMSTELREDAMUM VENUS ANADYOMENE A MAXIMILIANO IMP. CORONATA.

E1_7 v.1 Forte pererrabat terras redivivus Apelles,
 2 deplorans dextrae tot monumenta suae.
 3 Artifices, proh fata ! (refert) periire tabellae ;
 4 et mea jam nusquam est fluctibus orta Venus.
 5 Altera pingatur, quae sit praestantior illa.
 6 Et tandem Batavo fixit in orbe pedem.

7 "Amstelias miratus aquas, miratus et urbem,
 8 haec Venus est, inquit, digna labore meo.
 9 Haec est illa, Gnido non tantum culta, Paphoque ;
 10 plurimus hanc toto diligit orbe cliens.
 11 Hanc sibi quisque deam totis amplexibus optat ;
 12 hanc velit Augustus, magnaue Roma suam.
 13 Sed maneat diu nostra Venus, reginaque Ponti
 14 provocet Eoas Hesperiasque plagas.
 15 Caesarea dudum frontem redimita corona,
 16 arceat hostiles imperiosa manus.

IN AMSTELODAMUM. URBS LOQUITUR.

E1_8 v.1 Quaeritis, Hansaeas inter cur censear urbes ?
 2 Emporiumque ingens Amstela nympha ferar ?
 3 Cur mea per totum volitent nunc carbasa mundum ?
 4 Cur subeat leges Indus uterque meas ?
 5 Cernitis Augustam, qua sum decorata, Coronam,
 6 et nitidum tollo celsa per astra caput !
 7 Non hedera, ut vulgo, est ; furiosave stemmata jacto.
 8 Auctorem, et causas haec habuere suas.
 9 Inconsulta suum petulantia Flandrica Regem
 10 cepit, et innocuo sanguine tinxit humum.
 11 Hinc genitor movet arma ; scelus nec linquit inultum :
 12 liberet ut natum, trux Fredericus adest.
 13 Romanaeque adsunt aquilae ; atque exercitus omnis :
 14 itur in exitium, maxima Bruga, tuum.
 15 Protinus obsepto migrant commercia portu :
 16 Amstela tum sacro digna favore fui.
 17 Sensit captivus, sensit Rex liber Yaeos,
 18 Amsteliosque suo pectora fida duci.
 19 Quid faciat ? Jam tum Brugae cum perdere vellet,
 20 me caput e Batavis tollere iussit aquis.
 21 Caesareaeque meos illustrans luce Coronae,
 22 "Tradite (ait) terris, tradite jura mari."

HARLEMUM HOLLANDIAE METROPOLIS SECUNDA.

E1_9 v.1 Quod te compellem, quod grata voce salutem,
 2 Harlemum, patrios devenererque Lares :
 3 quod Laurentiaco cumulem te, Diva, metallo ;
 4 quod tollam ingenuis te super astra typis :
 5 non fit ob aethereas, quas primum hic carpsimus auras,
 6 et docuit Musas pulcher Apollo suas.
 7 Non ob velivoli sinuosa volumina Sparni,
 8 qui bibit hinc undam fluminis, inde maris.
 9 Non ob famosi vestigia diruta Templi :
 10 quin animum nullus corripit Ordo meum ;
 11 ne quidem Iohannis referens a nomine nomen ;
 12 tot licet huic dites subjiciantur agri.
 13 Non etiam in sacras fertur meus impetus Aedes :
 14 vix tanti fuerit nunc pater ipse Numa.
 15 Non quod ab antiquo repetas primordia Lemo :
 16 non quod Nobilium sit tibi larga seges.
 17 Immo, nec ob Comites, quorum cunabula jactas,
 18 transactosque olim tot sine nube dies.

19 Non ob praelustrem Gulielmi Caesaris aulam,
 20 maxima qua lato Curia juncta Foro.
 21 Non et ob hoc ipsum : frustra obversatis arenae.
 22 Non vicus, non nunc ulla platea placet.
 23 Non, ut dinumerem bis quattuor ordine portas,
 24 aut relegam tenero moenia trita pede.
 25 Non me cocta Ceres grato raptura sapore :
 26 cantharus ad stomachum non facit iste meum.
 27 Non caro, non piscis petitur, jubeoque Macellum
 28 res sibi habere suas, res sibi habere Forum ;
 29 textrinumque suas : nunc linea tela facessat,
 30 illa peregrinis tela petita procis.
 31 Non venio celsis subnixus crura cothurnis,
 32 doctus et Andina proelia flare tuba,
 33 ut tot bella canam, (festino ignosce poetae)
 34 quae sunt militiae, quae tibi gesta domi.
 35 Nulla Pelusiaci tangit me cura triumphi,
 36 ut feriant aures cymbala parta meas.
 37 Denique non clypeus gladio stellisque superbus ;
 38 quaestio nec Vatem de Cruce mota juvat.
 39 Non delectat ager, fossisque cuniculus antris,
 40 non e vicino praeda petita mari.
 41 Ista tuae possent etiam memorare sorores,
 42 inventos possit nulla docere typos.
 43 Sola hac Harlemio debetur adorea civi,
 44 Laurenti meritas cingere docta comas,
 45 vindiciis asserta meis. Procul ite maligni,
 46 ite, Moguntinis dedita turba tuis ;
 47 non nisi qui pieno spirant insomnia folle,
 48 et Gutenbergos Fustiadasque crepant.
 49 I, Naudaeae, procul, tua per mendacia crescens :
 50 non locus hic nugis, credule Galle, tuis.
 51 Harlemense Nemus doceat, doceantque Napaeae,
 52 et Fagutali Numina sacra Jovi,
 53 hic fago exsculptas Laurenti cuspide formas,
 54 et primum natos hic simul esse typos.
 55 Di, precor, hic jubeant pro quercu crescere lauros,
 56 ne desint civi laurea sarta meo.

HALLUCINATIO VIRI MAGNI.

E1_10 v.1 Srada refert, Batavos ex Piscatoribus ortos
 2 ex humili ad summos post abiisse gradus :
 3 quos non inde potens potuit frenare Philippus,
 4 liberaque Hispano subdere colla jugo.
 5 Hem, piscatores Batavi ! Quasi Martia corda
 6 civilis possent dememinisse sui.
 7 Nusquam Cattigenae praeterquam in litore casses
 8 linaque verrendo detinere mari.
 9 Quaeque suos operi intentos pulchro ordine cives
 10 hos aluere foris, hos aluere domi.
 11 Tellus sponre ferax, pulmenta laboribus empta ;
 12 assueti parvo subsiliere lares.
 13 Armati semper pro Libertate tuenda,
 14 imperia indociles frenaque dura pati.
 15 Amstela qua splendet, fratremque salutat Yaeum,
 16 quaque per Austrinas in mare pergit aquas

17 Oceanumque patrem praegrandibus integit ulnis,
 18 ut credas toti jus dare posse mari.
 19 Olim (equidem fateor) res piscatoria curae,
 20 retia, fiscellae, multaque nassa fuit ;
 21 Amstelliique prope Heroes, populique ministri :
 22 namque ubi sunt Arces, quid minus esse potest ?
 23 Certe, non linis Domini, non cassibus usi ;
 24 per famulos epulum, mensaque structa fuit.
 25 Plurima saetigeri cocus hic mendacia porci ;
 26 porrigit in gustu cena secunda lupus,
 27 nobilis aut ruffae mullus pendigine barbae :
 28 squillaque ad extremam non numeranda famem.
 29 Nunc quoque porcelli gratissima praedia nobis,
 30 notus et hic Cimbris Angligenisque cibus
 31 principibusque aliis ; quos excipit hospita tellus :
 32 quamquam has delicias mavelit Aula suas.
 33 Invidet (ut dicam cum verbi paene periculo)
 34 unio divitiis, Amtela nympha, tuis.
 35 Sunt et opes damno : multorum causa malorum,
 36 optet ut hanc Nympham quilibet esse suam :
 37 per fas atque nefas ; pro muro audacia fertur,
 38 et decet armatas alea missa manus.
 39 Hanc sibi Reginam Thethys emat omnibus undis ;
 40 Mars pater haec fuso sanguine regna velit.
 41 Inde libens istis miles piscatur in undis :
 42 hamus et in mullum mittitur, inque lupum.
 43 Ah, quot in obscuro fundae insidiaeque locantur
 44 piscibus : an dono Maximiliane tuo,
 45 ausit et Augustae decerpere frondis honorem,
 46 quodque palam nescit, clam violare studet ?
 47 Sed levisomna cohors perterrita vimine texto
 48 aufugit, hei structos non subitura dolos.
 49 Et terrae quia vena levis, ruit excita pulsu
 50 quadrupedum : hei, miles proditor ipse sui.
 51 Et fit, ut interdum non hora sit apta, locusve,
 52 et pigeat vanas explicuisse plagas.
 53 Sed neque permissa est piscatio libera passim ;
 54 interdum dominis serviet unda suis.
 55 Hinc sine praeda abiit, nostrarque recessit ab Urbe :
 56 fixa erit illicita subdola Nassa via.

AGER SPAREN-DAMI, PROPE HARLEMUM.

E1_11 v.1 Cum primum Harlemii peterent Nilotica regna,
 2 et capienda manu jam Damiata foret.
 3 Non (ut credibile est) Sparnae tunc obstitit agger
 4 classibus ; aut alio e litore puppis iit.
 5 Tunc fluvius commixtus Yae atque Australibus undis ;
 6 horruit ad vastum parva carina fretum.
 7 Postsecus objecta est Florenti tempore moles,
 8 et Comes Oceanas hic prohibebat aquas.
 9 De patre quae produnt, ea tamquam incerta ferantur :
 10 nescio, an historica verba ligata fide.
 11 Agger hic Oceanum prohibet, prohibetque cataplum,
 12 nostrarque mercator moenia rarus adit.
 13 Amstelis interea peregrinos accipit unda.
 14 Urbsque fit, exiguus qui modo vicus erat.

15 Succurrit tandem magno Verlanus ausu,
 16 et patriae civem se probat esse bonum.
 17 Jam velis cataracta viam majoribus aptam
 18 praebet, et externi munera laeta sali.
 19 Sic Arctoa Ceres huc migratura : marisque
 20 nec prohibemur aquis, et prohibemus aquas.

DORDRECHTA

E1_12 v.1 Accedat Dordrechta tuae generosa coronae
 2 lemniscus, si non vana Thalia, meus.
 3 Non Antonini labor es ; quis credere posset ?
 4 Dorstadum frustra fama fuisse volet.
 5 Illud ab hostili Normanna classe petitum.
 6 Non puto vastatos hos coluisse lares.
 7 Cum flevere suum Mosae loca proxima casum,
 8 cum flevit cineres diruta Vlieta suos,
 9 cum grave compulsi Frisones numerare tributum ;
 10 Asper in Antverpos cum quoque Danus erat.
 11 Et simul in Valachris atrocia proelia campis
 12 vidimus, Eggardum pro patriaque mori.
 13 An nescis ? Veterum meminere volumina Dortae.
 14 Reinerus Dortae se quoque cinxit aquis.
 15 Providus et media munivit castra palude,
 16 sic ut Rex frustra Sventelebolchus erat.
 17 Quidquid id est, certe Duretus fabula vulgi
 18 sordet, et Hornano displicuisse velim.
 19 Cui Dideresdirectum, juvenilia somnia junge
 20 tam nova, quam nulla somnia nixa fide.
 21 Pulchrius a populis tibi nota vocabula priscis
 22 suspicer, a Thuriis o Thuredrechta tuis.
 23 Quid ? Quod non veriti Blyburgus Dousaque major
 24 carminibus Thurides concelebrare suis.
 25 Atque aliquis forsitan volet hic sedisse Turingos,
 26 Egberti regio cum dicionis erat.
 27 Haec vetera, et spissa circumdata nocte, fatemur :
 28 non indigna meis attamen illa modis.
 29 Vana tamen : Dortae propiora vocabula vero,
 30 urbsque a trajectis nomina sumpsit aquis.
 31 Nunc tibi si cupias magis nota propinquaque dici,
 32 accipe : cum Stapulae jure, Moneta tua est.
 33 Cum legit Hollandus communia vota Senatus,
 34 et laedi adversis publica cura cavet,
 35 a te post Equites suffragia prima petuntur ;
 36 consiliisque favet cetera turba tuis.
 37 Tu Batavas inter princeps Dordrechta sorores,
 38 in campum gladii jure superba venis.
 39 Pontificum haud armis, haud concessura Brabanto,
 40 corda geris saxis asperiora tuis ;
 41 quae tibi Eburonum mittuntur caesa cavernis :
 42 nec frustra Tungros mittere ferra, doces.
 43 Quot numeras cives, numeras tot fulmina belli ;
 44 omnia sunt Thraci pectora sacra Deo.
 45 Et cum Rhenanum mittit Germania Bacchum,
 46 exstinguis vino vividiore sitim.
 47 Miscetur Vahali, miscetur Merveda Mosae :
 48 cum cingaris aquis, non bibit ullus aquam.

49 Terraque, quae portis vi quondam dissita Ponti est,
 50 succedit muris, Virgo superba, tuis.
 51 Quidquid edax hausit pelagus, Thetys ipsa reponit,
 52 et dudum amissos unda reducit agros.
 53 Tempore libatum tibi quis modo reddet honorem ?
 54 Cum jam Gouthovi presserit ora sopor.
 55 Cum neque protulerit promissos Merula Fastos,
 56 (heu tua morte virum gloria quanta jacet !)
 57 Fallimur : an vindex tibi Beverovicus acer
 58 addit et extremam Zueria Suada manum !

LUGDUNUM BATAVORUM.

E1_13 v.1 Leyda, quid exspectes a desultore poeta,
 2 Di cui difficiles otia tota negant ?
 3 Nunc Castrum Albini, nunc me sibi Lissa requirit :
 4 nunc domus Amsteliae, nunc quoque Sparna rapit.
 5 Longe alia et quondam felicitior hora refulsit,
 6 Scaligero a Gallis huc veniente suis,
 7 post tristes abitus Lipsi ; cum fama tenellum
 8 me quoque Pegaseas quaerere suasit aquas,
 9 Pieridumque choros, et Lugdunense Lycaeam,
 10 egressum Janos post tria lustra duos.
 11 Jam tum visa pedum via ; jam tum pulcher Apollo
 12 jusserat imparibus nectere verba modis.
 13 Tentatum jam carmen erat, tritusque Palaemon ;
 14 historiae jam tum me stimulabat amor.
 15 Ire per Annales, urbanos ire per actus
 16 juvit, et historica cuncta ligare fide.
 17 Has quondam Engistus (sic fama est) appulit oras,
 18 durateoque Horsus per mare vectus equo.
 19 Pyrgus et in media qui nunc ostenditur urbe,
 20 creditur Engisti bellipotentis opus.
 21 Claudius hic, sanguis regum, Civilis agebat :
 22 nec procul hinc Sacrum (cetera mitto) nemus.
 23 Jactat Adalwinus civilem regibus ortum ;
 24 Wasnariique decus stemmatis inde petunt.
 25 Non nego victrices aquilas. Romanaque signa,
 26 hic ubi Romana verba notata manu ;
 27 fratresque Imperii referentia saxa Batavos :
 28 in quibus et priscae mentio facta Scholae.
 29 At non (quod visum doctis) ea sacra Camenis :
 30 Palladis haud templum, sed Schola Martis erat.
 31 Nunc Schola quae Martis fuerat, quae Martis arena
 32 nuper adhuc, Phoebi publica facta Schola est.
 33 Vindice quam Dousa, Thetys undis, sanguine civis
 34 emit ; et hinc rupto libera Musa jugo.
 35 Cujus ego fama, cujus succensus amore,
 36 accessi colles, maxima Leyda, tuos.
 37 Non ipsi ingratus Dousae, cui pulpita debent,
 38 debet et assertas cui Schola nostra Deas ;
 39 flumina quae Rheni propter, Neptuniaque arva,
 40 deserto Leydam nunc Helicone colunt.
 41 Et castigatas heros mihi Scaliger aures.
 42 Praebuit, ad Musas et leve stravit iter.
 43 O, mihi si referat lucas sine nube beatas
 44 Juppiter, antiquos restituatque jocos !

45 Hora, precor, reddat vernantis gaudia vitae !
 46 Quae quondam juveni, nunc placitura seni.
 47 Non annos optem, sed pristina tempora reddi :
 48 annuite, o Superi ; nam moderata peto.
 49 O luces ! cum Battiadae Vulcanius ignes,
 50 cum daret Ennipatris Merula vatis epos ;
 51 naufragii tabulas, disjectaque membra poetae,
 52 ossa gravis Rudii, sed tamen arte rudis.
 53 O luces ! cum Meursiades cum Grotius acer
 54 certatim numeris me coluere suis.
 55 Daemoniumque hominis lateri indivulsus adesset
 56 Heinsius, et Gandae gloria rara suae.
 57 O luces ! cum flamma meos depasceret artus
 58 leniter, et fibras jam subiisset Amor.
 59 Castus Amor, spondens genialis gaudia lecti :
 60 cum foret et votis ara reperta meis.
 61 Annaque pelliceret vultu matrona pudico :
 62 Anna tuis, Heinsi, facta Perana modis.
 63 Duplice jure trium natorum nobilis Anna ;
 64 sed doluit natis quattuor orba parens.
 65 Ne festinatis culpam quoque Numina fusis,
 66 haec prohibent sancti pignora bina thori.
 67 Nec plures memoras, vir praestantissime, proles :
 68 nec quoque tam grandes, deinde nec ambo mares.
 69 Gaudet in amplexu blandae Rutgersia natae,
 70 Heinsius in nati sedulitate sui.
 71 O luces ! cum Wouweri labor improbus audet
 72 Hellespontiacum sollicitare deum ;
 73 Petronique sales divina vindice dextra
 74 asserit et Crispum Putscia Musa beat.
 75 O luces ! domina cum sollers Urbe relicta
 76 Pontanus nostro figeret orbe pedem,
 77 ambrosiasque epulas, longaevaeque vina pararet ;
 78 adderet et mensis post analecta suis.
 79 O luces ! Cum Francisci mens optima Dousae
 80 funera pensaret fratris acerba sui.
 81 Jani, eheu ! Jani, summo vix patre minoris ;
 82 Jani, quo functo visa Thalia mori.
 83 Franco sed aeterni fratris per inania raptus,
 84 aethereo clarum sidus in orbe micat :
 85 post Luciliaci collecta poemata nasi,
 86 post et Iuleae nobile mentis opus.
 87 Et Constantini meus ille Georgius urbe
 88 redditur, astriferi fulgurat axe poli.
 89 Quique novae Rome mores ac sacra docebat,
 90 tot libris auctus marmoribusque, silet.
 91 Et primus Jani crudelia fata secutus,
 92 intulit (hei !) studiis tertia damna meis.
 93 Musarum columella fuit Nordvicius heros ;
 94 occidit et magnum filius ante patrem.
 95 Et te perdidimus, pelago rapiente, Georgi.
 96 Heic quid agis ? Fuerat terra colenda tibi.
 97 Tot dotes dubio potuistin' credere ponto ;
 98 nominis (o demens !) nec meminisse tui ?
 99 Luximus et Stephanum : sed paucis luxerat annis
 100 Franco pius ; manes et simul ipse petit.
 101 Denique tota fuit natorum Dousica Pleias,
 102 sustineas tantum ni, Theodore, decus.

103 O luces ! cum tu premeres vestigia patris,
104 et Rhenoburga noster in arce fores.
105 Ergo abes, ad veterem numquam visurus amicum ?
106 Numquam ad Hiantaeas Dousa redibis aquas ?
107 Tu potes : Eyndiadae fato properante negatum ;
108 nec dabit adpersis carmina docta jocis.
109 Quis nunc Zelandos aeterna nocte sepultos
110 eruet, et Comites, Walchria prisca, tuos ?
111 O luces ! cum Raphurstum meus ille sodalis,
112 semper Thesceo cultus amore mihi,
113 linqueret, et nostris laribus succederet hospes,
114 absentem Caja vix tolerante virum.
115 Caja, quid insimulas, obliquaque lumina torques ?
116 Carmen amat, quiquis carmine digna gerit.
117 Tuningo hoc etiam civi, Erpenioque negatum,
118 abstulit ante suum quos fera Parca diem.
119 Et Taciti interpretes, non degener incola mundi,
120 pro dolor ! Excessu desiit esse meus.
121 Blaesula vox, rarusque lepos, suadaeque medulla
122 tecum in communem, Baudi, abiere locum.
123 Raptus et ille meus viridi Rutgersius aevo,
124 Baudiacos poterat qui reparare sales.
125 Vulnera tot nostris (heu !) sunt inflicta Camenis,
126 ut vix inveniatur jam nova plaga locum.
127 Quae tamen invidia haec, quatenus haec violentia, Divi
128 en umquam Dycki perfruar ore mei ?
129 Quem Cabellavi morbo graviore teneri
130 charta salutatrix (di prohibete !) refert.
131 Extremumque Vale Geticis mihi nuntiat oris,
132 et consanguineis ultima verba suis.
133 Haecne leges siccis oculis, suavissime Plassi ?
134 Illaesas poteris ungue tenere comas ?
135 Ergo igitur fuerit Gustavi destina Regis,
136 Harlemi fuerit gloria prima mei !
137 Et nos sic cadimus famae melioris amicis ;
138 queis sine, quae (Musae !) vita relicta mihi ?
139 Ilicet, occidimus : mihi vivere nulla voluptas.
140 Ilicet, ad Stygias praecipitatur aquas,
141 si non succurras tu Barthelemi, tuque Gevarthe,
142 cara mihi atque istis nomina culta locis.
143 Si non Holsteni properes procul urbe Quirini,
144 si neget et promptam ferre Gebhardus opem.
145 Nempe Casaubonius nequit, et modo ferre Freherus ;
146 Gruterique mei flebilis umbra natat.
147 Ni Trajectina veniat Buchellus ab urbe,
148 et solito antiquas more recludat opes.
149 Et si se totum Barlaeus subtrahat ingens,
150 Vossius et Leydae dememinisse volet.
151 Sed bene ! nondum Heinsi carmen regale fatiscit,
152 dum canit Augusti Principis arma sui.
153 Nec tacet eloquii vindex, geniusque Menippi,
154 Cunaeus Themidos captus amore suae.
155 Adde alios : et adhaec Leydam respexit Apollo,
156 praesidiumque novum Gallia docta dabit.
157 Cattica flexanimo Pallas viduata Brabantio,
158 mox erat (heu !) tenebris in moritura suis.
159 Julia confusis avulsit Stella Batavis,
160 Leydaque praesentem sensit adesse Deum.

161 Quid mirum ? Hectorea censemur origine creti,
 162 et nostri a Gallis usque petuntur avi.
 163 Hinc sociis speranda dies, hinc anchora sacra :
 164 hinc tua, Lugdunum, mox reparanda salus.
 165 His exspectatus veniet Salmasius oris.
 166 O, mihi tam laetum, Phosphore, redde diem.
 167 Quantus in Aonidum (Superi,) penetralibus ille !
 168 Quantus apud Latios vix, puto, Varro fuit.
 169 Phosphore redde diem : quid gaudia nostra moraris ?
 170 Te cuperem votis ocius ire meis.
 171 Omnia tunc a te mihi praebita, Phosphore, credam :
 172 hunc sistas primo si mihi vere virum.

GAUDA.

E1_14 v.1 Sanguinis Hollandi proceres, simul Urbis et arcis
 2 auctores possem, Gauda, referre tuos ;
 3 Blesiacos possem Comites, cineresque beatos,
 4 publica marmoreo quos tegit urna sinu :
 5 has possem exsequias ; praegressaque tempora longe,
 6 cum pius in pretio Catzius esset Eques.
 7 Cum vicina tibi Princeps concederet arva,
 8 allueretque tuos Itala vasta lares.
 9 Possem aedes sacras, molemque extollere templi,
 10 hortosque, et laeti jugera multa soli ;
 11 possem mercatus, portoria, pristina jura ;
 12 sic ut Moerdrecht nulla fuisse putes.
 13 Aemula Leidanis possem velamina tolis,
 14 possem et Apellea stamina texta manu.
 15 Sed neque textores, nec opes, neque cetera curo ;
 16 inclyta doctorum nomina pluris erunt.
 17 In quibus a patrio dictus "Cornelius" auro,
 18 clarus, Apollineis, Caesare dante, comis.
 19 Quique Palatinas quondam illustrabat Athenas
 20 Henricus, sacri gloria prima chori.
 21 In quibus aeterni cultor Gulielmus Erasmi,
 22 ille inquam "Hermannus", Gauda, Poeta tuus.
 23 In quibus et Snojus, quo consule Brassica gaudet
 24 patriciusque sui civis adorat opus.
 25 Burgundus medicum, legatum Scotia vidit ;
 26 historicum Batavi : cetera turba sophum.
 27 Hoc unum doleo, foedis erroribus ausum
 28 historiam patriae commaculare suae.
 29 Adde quod haec Tragoras non corrigit, indice vero,
 30 omnia sed Lernis turbidiora facit.
 31 Sed quo, quo raperis, Sriveri candide ? Credas
 32 parcius haec doctis objicienda viris.
 33 Haec fanti assistit Cythereia Mater, aitque :
 34 "An nescis lusus deliciasque meas ?
 35 Quae Septemgeminis sit Margaribus edita monte,
 36 nescis Hollando quae nata solo ?
 37 Vulnificos nescis oculos, et dulce venenum,
 38 blanda quod Eutrapeli circuit ora mei ?
 39 Diu quidem inoffensus nostris fuit ille sagittis ;
 40 Margaridis tandem captus amore suae,
 41 succubuit puero : Dominae nec turpe putavit
 42 vincula in ingenuo pectore serva pati.

43 Quid juvat austeri flammam prohibere parentis,
 44 provenit, heu ! caeco majus ob igne malum.
 45 Tunc furta, et taciti meditantur gaudia lecti ;
 46 non permissus amor fanda, nefanda patrat.
 47 Sic Roterodamum "Gauda" juvat ire relictam,
 48 sic tuus externa natus Erasmus humo ;
 49 "Gauda" tuus : sed quem totus desiderat Orbis,
 50 Varronemque suum quem pia Roma vocat.
 51 Verum alia hic sacra dignissima nomina cedro
 52 plura licet poteram, non meliora darem.
 53 Unice tu, Schonae, veni, redivive Terenti ;
 54 o quantum est uti munere posse Dei !
 55 Usus tam pulcro nisi praeceptore fuisset,
 56 non faveat numeris Pulcher Apollo meis.

BREDA FELICITER RESTITUTA, ANNO 1637.

E1_15 v.1 Saucia Libertas errare penatibus illis,
 2 illis sub tectis Pax habitare solet.
 3 Excidit attonito mox incluta Breda Dynastae ;
 4 haud ferro, lenta sed male fracta fame.
 5 Vivitur hinc rapto, metuitque Batavus Iberum,
 6 disjicit et Valachras vis inimica rates.
 7 Non tulit Hollandus, Belgarum ductor, Achilles ;
 8 non tulit : at caeca vulnera mente premit.
 9 Moenibus accedit, sed inobservatus : in urbem,
 10 vallaque Mauritas quae decuere manus,
 11 pugnat, et undecimo quae magnus Spinola mense
 12 ceperat, undecima liberat hebdomada.
 13 Excidit attonito nunc dedita Breda Philippo ;
 14 et simul exhausto deditur arca Tago.
 15 Palabunda sua libertas aede recepta est :
 16 redditur excusso libera Breda jugo.
 17 Redduntur Belgae ; quos si hic Pax alma revisat,
 18 pulchrior in toto non erit orbe locus.

BREDA LOQUITUR.

E1_16 v.1 Saepius intercepta dolo, semel aggere cincta
 2 auspiciis primum, Dux Isabella, tuis.
 3 Spinola me cepit, sed reddidit ante Saguntum.
 4 Et superanda manu, sum superata fame.
 5 Quinque quid Henrici mihi propugnacula prosunt,
 6 Vallaque, Mauritis quae posuere manus ?
 7 Hoc prosunt, quod me non vi tentavit adorsus
 8 Spinola, et invictam credidit esse sibi.
 9 Moenia fulmineo non sunt violata metallo :
 10 et cecidit nullis Martia turba globis.
 11 Sed lento obsidio fregit fortissima bello
 12 pectora, non ista digna perire fame.
 13 Hinc sese dedunt, ut victi aliquando resurgant,
 14 victoresque premat vindicis ira Dei.
 15 Haud magni Henrici tradux patietur inultum.
 16 Responsum Delfis hoc sibi credat Iber.
 17 Ecce, animi excellens celsissima gloria mundi,
 18 ulterius vix quo progrediatur, habet.

19 Unica Nassaviis restabam Breda triumphis,
 20 deerat et augustis ista corona comis.
 21 Fit via vi, properatque meus cui dedar Achilles,
 22 sponte vel ad Dominum mox reditura meum.
 23 Mautitias virtus dejecit Arausica moles,
 24 vallaque sunt proavi fulmine fracta sui.
 25 Fulmine Nassavio si Pax oriatur ab isto,
 26 Juppiter hoc etiam fulmen amare potest.

DE HORRENDA TEMPESTATE OBSIDIONIS TEMPORE ET CAELI SERENITATE
 CUM URBS BREDA EXPUGNARETUR.

E1_17 v.1 Quaeritis, aetherio cur nimbus grandinis axe,
 2 et cur concretae praecipitantur aquae ?
 3 Cur tonat, et flavo non parcat Juppiter anno,
 4 et perdit segetes igne, Segesta, tuas ?
 5 Cur durum molitur opus jaculator Olympi ?
 6 Sic Deus, ut Princeps hoc imitetur, agit.
 7 Nunc urbem civesque suos lacerabat Iberus.
 8 Induerat foedum Breda superba jugum.
 9 Hoc labyrinthis vallis et collibus illi
 10 auferat, et totus si fodiatur ager !
 11 Omnia nequicquam : nisi, quando propinquior urbi,
 12 exemplo magni jam Jovis arma gerit.
 13 Grandinet et plumbo et reboanti fulminet aere :
 14 structaque confractum vinea tangat opus.
 15 Quae videt ut Princeps feliciter esse peracta ;
 16 sedato cives respicit ore suos.
 17 Et melior caeli facies : sine nubibus aer,
 18 proxima Dux hausti sustinet ora poli.
 19 Haec hodierna Jovem promittunt ora Serenum :
 20 quam modo mirabar, dextra Tonantis erat.

AD PRINCIPEM FRED. HENRIC. NASSAU POLIORCETEN, DE RAPTU AB IPSO.
 URBS BREDAE VARIIS HEROICIS ENCOMIASTIS.

E1_18 v.1 Nupera Nassaviis adjecta tropaea triumphis
 2 ferclaue sollemnes non habuere tubas.
 3 Cum mihi non inflet calamos Andinus Apollo,
 4 sordebant Elegis facta minora meis.
 5 Sed palmam poterant Epigrammata docta mereri,
 6 quae Schola, quae variis edidit Aula modis.
 7 Majus opus Scaldim Boyus meditatus ad ipsum,
 8 multa triumphali carmina voce canit.
 9 Mattiacis, Princeps, concedere velle Batavos
 10 credis ? Et augustos dedidicisse modos ?
 11 Non ita : dum nostris Banningius altus Athenis
 12 trigeminum terso carmine limat opus,
 13 et parat heroo Bredae miracula plectro
 14 Pratius, ad veteres non taciturus Aquas,
 15 prosilit ingenti cultissimus Heinsius ausu,
 16 et loquitur summum prima juvenia patrem.
 17 Quamvis contempta nunc Amstela Phocide musset,
 18 pensabit tacitas Heinsia Musa deas.
 19 Cedat, Arausionum Princeps, tua gloria nulli :
 20 cesserit haec soli charta diserta patri.

VATICINIUM STILSIAE DE BREDA.

E1_19 v.1 Cingeret immensis cum Breda Spinola castris,
 2 pressaque jam sexto moenia mense forent,
 3 Stilsia flaminicos promittere visa capillos,
 4 sic est ad cives vaticinata suos :
 5 "Servari si vultis, ait, delubra petantur ;
 6 officit hic sacris una Maria meis.
 7 Ex mausoleo tollatur imago beatae
 8 Virginis : hac Matris non sit in aede locus.
 9 Quae nisi tollatur, cum civibus ilicet actum est,
 10 urbs et in Archiducis corrunitura manum.
 11 Tollatur si Diva, statim fugitiva peribunt
 12 agmina ; et ad portas Spinola nullus erit.
 13 Flaminicae suasu, tumuli mutilantur heriles :
 14 jam nusquam statua est : cessat origo mali.
 15 Et tamen undecimo fit mense propinquior hostis,
 16 deditur urbsque, atrae sola relictam fami.
 17 Quo tendit Flamen, contraria vota perosus ?
 18 Stilsia quo tendis ? Quid fugitiva paras ?
 19 Ludunt vaticinam discordia fata Sibyllam ;
 20 nec spondent certam Somnia vana fidem.
 21 Quae potuit praescire fugam cingentis Iberi,
 22 conscia certa fugae non erat ipsa suae.
 23 Jam, puto, suppositam quondam pro Virgine cervam
 24 creditis : accepit fabula prisca fidem."

IN PANEGYRISTAS PRINCIPIIS FRED. HENR. NASSAVII,
 EXPUGNATORIS URBIS BREDAE, C. BARLAEUM, ET M. ZUERIUM BOXHORNIIUM.

E1_20 v.1 Diva per Advaticos gradiens Facundia campos,
 2 visa triumphantis Principis arma sequi,
 3 substitit ad Bredam, lauros mirata recentes,
 4 et commenta novos ingeniosa tropos.
 5 Amstelias primum dixit Barlaeus ad undas ;
 6 ad Lugdunenses Zuerius inde Patres.
 7 Alterius neuter legit praeconia, neuter
 8 audiit. Ex merito sumptus utrique labor.
 9 Aemula non haec sunt, ullave aerugine livent
 10 pectora non tacta candidiora nive.
 11 Cum bene non possit tantos celebrare triumphos
 12 unica Suada viri ; sic geminata potest.

DIALOGISMUS INTER ADVENAM ET BELGAM
 DE MEMORABILI EXPUGNATIONE URBIS BREDAE, ET SPERATA PACE.

(A. INTERROGAT, B. RESPONDET.)

A.

E1_21 v.1 _ Quae circumvolitant gratantia Numina Bredam ?
 2 B. _ Mars pater, et Nemesis. _ Quae dea juncta deis ?
 3 An Dea ? Fumosi latitans sub tegmine pepli ;

4 jamque verecundans, non mihi tota patet.
 5 _ Pax Dea, purpureas obvelans cyclade pennas,
 6 prorepsit nido, fulmine mota, suo.
 7 Ultimus ille chorus, Musae et Pataraeus Apollo.
 8 _ Dic, quae dissimiles junxerit hora Deos.
 9 Conventus monstri similis : concordia discors.
 10 Quis locus hic Paci, quis sit, Apollo, tibi ?
 11 _ Ille prior per amoenam urbem diu spicula torsit ;
 12 fertur et exhausto Martis arena Tago.
 13 _ Addita cur Nemesis ? _ Fastum Rhamnusia punit ;
 14 remque astu gerit, ut puniat illa magis.
 15 Quae tulit ustibilem puppis generosa paludem,
 16 qua Ligur, etstupidus qua calefactus Iber,
 17 Spinola combussit ; tabulisque cadentibus illis
 18 summus Heraugerii praecipitatus honos.
 19 Sustulit annalem scelerosa superbia clavum,
 20 et Tabula est sanctis altera fixa tholis.
 21 Perferat hoc Nemesis, fastumque relinquat inultum ?
 22 Hoc placeat Superis ? Non ita : classe venit.
 23 Exit Arausmus, fastum indignatus, Achilles,
 24 captaque (mira loquor) moenia classe petit.
 25 Hanc solam, Flandris minitans, hanc cogitat urbem ;
 26 mittit et in jugulum tela, Brabante, tuum.
 27 Vindicat haut unum classis numerosa phaselum,
 28 vindicat Hispanos puppis adunca typhos.
 29 Aurea libertas tanti, haud jactura carinae,
 30 putruerat longo quae prope tota situ.
 31 Saepius intercepta dolo, nunc fortibus armis
 32 agnoscit Dominum subdita Breda suum.
 33 Audita Advaticis repetita tonitrua campis,
 34 tactaque fulminibus moenia, templa, domus.
 35 Nunc tabulae pendent inhonoraе ; ultorque libellus
 36 additur, et spoliū jam spoliantis habet.
 37 Et fortasse ratis fiet nova, caespitis index :
 38 Spinola, laus igni quam fugitiva tuo !
 39 Quam pariter pretiosa ! Sequens sed viderit aetas,
 40 an semper nummis pullulet arca novis.
 41 Viribus ipsa suis misere consumitur ingens
 42 Belgica, et auctores vix putat esse Deos.
 43 _ Quid tu depletos mihi succinis acre locellos ?
 44 Tristia quid memoras ? Cum mage laeta velim.
 45 An de Pace aliquid fando pervenit ad aures,
 46 frondeque olivifera laurus in Arce crepat ?
 47 _ Nescio : collisas si spectet Belgica vires,
 48 et Rex instituat velle dolere minus,
 49 districto placidam ferro praeponet olivam,
 50 pristinus ut tandem concilietur amor.
 51 Non odiis alitur, gladiove interprete Veri :
 52 constet Libertas, constet et alma Fides ;
 53 faxo, per Europam victricia signa volabunt :
 54 ipse Asiae domitor sub pede nullus erit.
 55 _ O, ita sit ! Junctis feriantur foedera dextris !
 56 Belgica pax redeat (diu peregrina) domum !
 57 _ Scis Breda (ut video) Patres de pace locutos :
 58 nec, puto, jam dubitas hic quoque velle loqui.
 59 O, ita sit ! Voveo. Fallorne, an spondet Apollo,
 60 et trahit huc comites ex Helicone Deas
 61 quae pedibus lituos, atque horrida tympana calcant,

62 jamdudum fessae condere Martis opus :
 63 aut animare tubas, aut sanguine tingere chartas.
 64 Gratior (o quando ?) fistula Pacis erit.

TROPAEUM, HISPANIS, EX INSULIS ZELANDICIS PARTIM EJECTIS, PARTIM CAPTIS.
 XIII SEPTEMBRIS, ANNO 1631.

I.

E1_22 v.1 Audierat quondam Batavum pugnasse Leonem,
 2 Mattiaci virtus nota Leonis erat.
 3 Nunc Morinis frustra tentatis, ridet Iberus,
 4 et fovet in tacito gaudia larga sinu.
 5 Nunc adeunda sibi leporum ipsa cubilia censet,
 6 nostraque belligera litora classe petit.
 7 Nempe suas Batavi jam dimisere carinas,
 8 nec mare Mattiacum tot modo vela gerit.
 9 Ecquid id est ? Batavumne putet dormire Leonem,
 10 vicinumque suis delituisse vadis ?
 11 Fallitur : emergit salsis luctatus in undis,
 12 et Batavo laesae jam tumet ira comae.
 13 Nec mora : conjunctis prosternunt viribus hostem.
 14 A spe quam longe nunc jacet ille sua !
 15 Tandem pugnantis geminos vidisse Leones
 16 narret Iber ; si quis sit modo salvus Iber.

II

17 Vosmariam indigitant, ubi tot sunt agmina fossa,
 18 disjectaeque rates, captus et hostis Iber.
 19 Rostra vides illic, Mariique tropaea Batavi.
 20 Dicetur vero nomine fossa Mari.

III

21 Terruerat nostram Tartessus Annibal Annam,
 22 complerat Fossas jamque Mare omne metu.
 23 Sed cecidit. Votis non annuit Anna superbis,
 24 et complet Fossas ac Mare victus Iber.

IV.

CHRONICON, ET ILLIUS COMITIS, QUI FUGA SIBI CONSULUIT, DESIGNATIO.

25 Venerat ad Cattos piscem haud captura, sed urbes,
 26 concidit ignota spanica Massa via.

V.

RETROGRADUM.

27 Cattigenas mage tunc subvexit splendida ponti
 28 gloria, cessisset cum male Baetigenis.

QUOD CONVERTES, AC RETRO LEGES AD HUNC MODUM.

29 Baetigenis male cum cessisset, gloria ponti
 30 splendida, subvexit tunc mage Cattigenas.

VI.
IN BLENNUM FISSICULATOREM ANATOMICUM.

31 Vah, quid in extrema cor jactas calce repertum !
32 In manibus semper cor fuit, est, et erit.
33 Falsa igitur lusit te, fissiculator, imago :
34 non erat hic nostras, Blenne ; Brabantus erat.

BELGARUM ET TEMPORUM, FELICITAS ANNO 1632.

E1_23 v.1 Musa rudi populo Septem praescripserat Artes,
2 quas novit Batavus perdidicitque puer.
3 Sed nos transvorsum rapuit civilis Enyo,
4 vix sit ut his lituos inter et arma locus.
5 Barbara Pierios offendit buccina cantus,
6 sanguine turbatis Cyrrha laborat aquis.
7 Sic steriles abeunt anni, sic truditur aetas,
8 rarus et aeterno carmine nomen habet.
9 Mosa laboranti poterit succurrere Musae,
10 Aurasii poterit si modo jussa sequi.
11 Dum loquor, adjecit Septem pugnantibus Urbes
12 Mosa, triumphato leniter amne fluens.
13 Fercula Venlonam, Stralenaque moenia jactant ;
14 plorat detonsas et sibi rura comas.
15 Cesserat ista levi felix victoria nisu ;
16 palmaque de facili ter numeranda jugo.
17 Sed Fastis signanda nigro carbone : quid horres ?
18 Ernestum (heu, vobis !) abstulit atra dies.
19 Oppida vix fuerant tanto redimenda dolore.
20 Sed fatis agimur. Mors sua quemque manet.
21 Fata viam invenient, Pietas qua vindicet orba,
22 damna per infestas cum reditura gulas.
23 Trajecti turres, cingendaque moenia restant,
24 cingat ut Aurasias illa corona comas.
25 Haud satis ; accedat titulis Provincia nostris :
26 nec Rex tot numeret, quot solet ante, Duces.
27 Arduus Hollandi pedibus pulsetur Olympus,
28 ob Limpurgiaco parta tropaea solo.
29 Sic Pax attritos populos peregrina reviset,
30 et surgent cunctis otia tuta locis.
31 Pollemus studiis, sed plus profecimus armis ;
32 sic Mars indicio praevalet arte meo.
33 Fama, quid ingentem curru praetendis Erasmus ;
34 objicis et sparsos docta per ora viros ?
35 Hinc aliquod (fateor) tulimus nomenque decusque,
36 nostrarque laurigeris Musa triumphat equis.
37 Sed potior belli, bellumque sequentis olivae
38 gloria. Quam Marti major in ore sonus !
39 Qua vexilla volant rutilo metuenda Leone,
40 et nostro tellus nomine nota jacet ;
41 non illas calamus, non charta perambulat oras,
42 Pboebea quamvis charta notata manu :
43 non lndis merx ista placet. Nescitur Erasmus ;
44 nota sed in nostris fusa metalla focus.
45 Vi patefacta via est, nostris superavimus aequor
46 hactenus intacta fiximus arma solo.
47 Crevit et e nostris submissa colonia terris ;

48 surrexere domus, templaque juncta foris.
 49 Gessimus haec peregre, multum indignante Philippo :
 50 posteritas narret cetera gesta domi.
 51 Nunc, ecce Aurasias Bethasia subdita lege
 52 accipit, et famulas Mosa ministrat aquas.
 53 Sic Musam quoque Mosa beat : lituisque remotis
 54 gratior in Belgis fistula Pacis erit.
 55 Pace vigent artes, et opes. Pax optima rerum
 56 tranquillo recipit Numina pulsa sinu.
 57 Numina confractis nunc exsultantia telis,
 58 adque intermissos prompta venire choros.
 59 Mosa, quid ad nutus dedignabaris heriles ;
 60 diu te sub nostras par erat isse manus.
 61 Non bene cognati spernebas caerula Rheni
 62 flumina : nec fuerant tot bona nota tibi,
 63 aut perspecta satis. Si nondum intelligis, audi :
 64 primum sub miti Principe, Mosa, flues
 65 Oceanique expers (non sic, si credimus, olim),
 66 Oceani poteris commoditate frui.
 67 Et quamvis pelagi longe semotus ab oris,
 68 Thetidos extremas jam penetrabis aquas.
 69 Fabula jam vera est : Batavis quae jungitur undis,
 70 diffuso pariter jungitur unda mari.
 71 Omnigenas jam, Mosa, trahes ex aequore dotes,
 72 serviet et totis Ennosigaeus aquis.
 73 Sponte dabit tellus mitissima Pacis olivas ;
 74serta nec ex alia fronde paranda tibi.
 75 Belgica dimissis ubi mox gaudebit Iberis,
 76 pristinus ingeniis restituetur honos.
 77 Denique Musa volet potius tua, Mosa, vocari ;
 78quam de Castaliis ducere nomen aquis.
 79 Reddita tota sibi est. Miscetur Dilia Rheno,
 80 excolit et socias utraque ripa Deas.
 81 Jam sacra verba tibi (praei modo) Belga loquetur ;
 82 foedera non ulla dissoluenda die.
 83 Trajice trajectus tuus hosti dicet in Indos
 84tela : vel in Turcas, si placet, arma move,
 85 auctoramentum tibi non leve nobile foedus,
 86 inscriptum fluxis quod velit hostis aquis.
 87 Sed commune bonum vetat, et sapientia Pacis,
 88 et sanctae prohibent, quae pepigere, manus.
 89 Musarum spondet chorus, et jam liber Apollo,
 90 perpetuum aeternae pignus amicitiae.
 91 Quod Septem nequiere Artes dare pluribus annis
 92 Mars dedit exiguo tempore, Belga, tibi.
 93 Fallor, an antistant septem artibus oppida septem ?
 94 Et victor, non Mars, sed Pataraeus erit ?

QUERELA HOLLANDIAE DE FRATRUM DISSIDIIS.

E1_24 v.1 Imposuit Dominum Frisiis, Comitemque Batavis
 2 Carolus. Hic populo sed renuente datus.
 3 Mox scissum imperium : quum Fratrum rara duorum
 4 gratia, quum vulgus sit novitatis amans.
 5 Optimus Arnulfus duo pignora cara reliquit ;
 6 Sifridus partem hinc, Didricus inde rapit.
 7 Qui Fratri totas facile assensisset habenas,

8 ni Caserchemae captus amore foret.
 9 Vulnus idem Patriae, Theodoro sceptrā tenente,
 10 quum fera cum Nigro proelia fratre gerit.
 11 Infensoque animo in fratrem Theodoricus alter
 12 (Caesare quantumvis hoc prohibente) fuit.
 13 Quantus amor regni ! Vix frena paterna capessit,
 14 en contra fratrem frater ad arma venit.
 15 Impia quondam (eheu !) rem perdidit ira Batavam,
 16 concussitque hilares factio mota Lares.
 17 Pars Hamo nomen, pars nomen debet Asello.
 18 Eheu ! Quot rabies sustulit illa viros.
 19 Et miramur adhuc male si plorante Batavo,
 20 concinat hic Fratrum litigiosa cohors.
 21 Necdum etiam finis : quique horrida bella cavenda
 22 praecipiat, Martem nunc amat ipse Numa ;
 23 et conjurati veniunt ad classica Fratres,
 24 disturbatque suus publica templa furor.
 25 Antiquum est, Fratres inter se cernere ferro :
 26 nulla odio, nulla hic pectora bile vacant.
 27 Regis ad exemplum totus componitur orbis ;
 28 quod pridem Comites, nunc mea turba facit.

CORONA CIVICA OB OBSERVATOS CIVES AD TRAJECTUM MOSAE.

E1_25 v.1 Ad Trajectinas temere non fulminat arces,
 2 sed Batavus forti sede potitus ovat.
 3 Et nunc Mosa pater, geminas interfluvius urbes,
 4 imperii pars est, terminus ante fuit.
 5 An tutelaris prosint encomia Divi,
 6 an potius nullo pondere verba fluant ;
 7 ipsa (modo sensus superet) sacra dixerit umbra.
 8 Urbs certe in Batavas concidit ista manus.
 9 Sed veteres in honore manent araeque, focique.
 10 Ille ferox Batavus mitia corda gerit.
 11 Perdere cum possit, servat. Servatius ergo
 12 advenit : et meruit nomen hic, alter habet.
 13 Alter habet, sed non servat Servatius urbem ;
 14 crimine quo nomen perdidit ille suum.
 15 Servatius Victor, populi tabularia servat ;
 16 servat, Io, cives, Mosa superbe, tuos.
 17 Et dubitamus adhuc nihili dispungere fastos,
 18 nomen et hoc Tabulis asseruisse novis.

IN ADVENTUM CHRISTIANISSIMAE REGINAE MARIAE MEDICAE
HERCULIS GALLICI VIDUAE.

E1_26 v.1 Advehitur Regina, trium pulcherrima Regum
 2 mater ; io ! famulas Mosa ministrat aquas.
 3 Non haec de nihilo caecis retinetur arenis,
 4 lenior aut motas impedit aura rates.
 5 Durdrechtum tota meditantem appellere classe
 6 Gorgomii ad portum ventus, et unda tulit,
 7 fatorum imperio : cum naviget Herculis uxor,
 8 Herculeo fuerat restituenda solo.

DE SUMMA SERENITATE, ADNAVIGANTE AD NOS MARIA DE MEDICES VIDUA
CHRISTIANISS. GALLORUM REGIS HENRICI IV.

E1_27 v.1 Cur sua per caelum non portant nubila venti ?
2 Cur pridem captas nunc posuete minas ?
3 Iraque desaevit ? Mater regina propinquat,
4 et, quo non toto pulchrior orbe, dies.
5 Invehitur Princeps medias tranquilla per undas,
6 forsitan et nostris nunc dominatur aquis ;
7 tantaque constrati ridet pellacia ponti :
8 credibile aut ipsum sic voluisse Deum.
9 Affari trino, non simplice debuit ore,
10 illa trium Regum pignore facta parens.
11 Convenere uno tria flamina limite ! Linga,
12 et Vahalis mixto gurgite Mosa pater.
13 Ecce salutandi partes sibi quisque priores
14 vindicat, et dominae pugnat adesse suae.
15 Dicite, num vario vox illaetabilis ore
16 excidat, et durum ter repetita sonet ?
17 Gratior unus erit ! Proni desistite fratres ;
18 nec pugnat : potest pro grege Mosa loqui.
19 "Salve, magna parens, qua non praestantior hospes,
20 aut aliud tergis dulcius haesit onus.
21 Quid tibi pro tanto Batavi debemus honore ?
22 Quae fiat nostris gloria major aquis ?
23 Nunc mihi Spadanas liceat postponere Nymphas ;
24 et non mentito fortius ore loqui.
25 O, si discordes animos in foedera jungas !
26 Et pariter Gallis restituare tuis !
27 Ad Mahumetigenas bella (horrida bella) facessant :
28 perque Europaeas serpat oliva comas.
29 Si superos Argo meruit per Jasona vectum,
30 quodque per Oceanas prima cucurrit aquas ;
31 qua vehitur Regum (an Divum ?) placidissima mater,
32 quo tandem fuerit digna carina loco ?
33 Dignior haec Tuscae titulo signata Mariae
34 puppis, et astrigeris apta praeire choris.
35 Quod si non meritis olim respondeat aether,
36 (ut nunc Hectoreae displicet illa plagae)
37 et caelum obsessum est : inter Medicea reponi
38 sidera stellarum maxima stella potest.

IN SIDERA MEDICEA.

E1_28 v.1 Mirabar toto cur non effulserit anno,
2 constiteritque suo Martia stella loco.
3 Jam tum credibile est, aut caelo ancilia lapsa,
4 stemma vel Hetruscos exhilarasse lares.
5 Descendere polo Mediceae sidera gentis,
6 haec Geticum poterant obtenebrare Deum.

IN EFFUSISSIMOS IMBRES,
CUM EADEM REGINA DELPHOS INGREDERETUR.

E1_29 v.1 Cur pluvius toto nunc Jupiter aethere regnat,

2 Delphicaque immodicis imbribus arva madent ?
 3 Hac tumulus Batavi spectatur in urbe Camilli ;
 4 hac libertatis conditur auctor humo.
 5 Hic Gulielme jaces ! Quem nunc Medicea salutat,
 6 nescia Burgundi vulnera ferre doli ;
 7 nescia percussi sicam tolerare mariti :
 8 quasque premit lacrimas, (ut decet) intus habet,
 9 et populo ne teste fleat ! Sua sidera testes
 10 advocat, ad luctus officiosa suos.
 11 Nunc plumbi facies, nunc cultri turbat imago :
 12 et geminum versat pectora maesta scelus.
 13 Nil praeter Sulcos lacrimarum sidera ducunt,
 14 et junxit lacrimas Jupiter ipse suas.

IN HOROLOGIUM, PRINCIPI AEMILIAE AB EADEM REGINA IN DISCESSU DONATUM.

E1_30 v.1 "Cur in felices mihi machina nuntiat horas,
 2 et notat adversae tempora saeva Deae ?
 3 Hactenus haec docuit, post Magni fata mariti,
 4 me miseram nulla posse quiete frui."
 5 Dixit, et Aemiliae dedit hanc Regina Batavae ;
 6 verbaque muneribus subdidit ista suis :
 7 indicet aut nullas, aut faustas indicet horas,
 8 aequaque fortunae tempora longa tuae.
 9 Haec tibi sit, Princeps, devotae tessera mentis,
 10 symbolaque haec manibus saepe tenenda tuis.
 11 Non aurum tanti, non quod pretiosius auro.
 12 Sit tanti affectus tempus in omne meus.
 13 O, nostri memores si machina dividat horas !
 14 Nil erit hoc auro, nil adamante prius.

SUB PERSONNA EJUSDEM REGINAE AD AEMILIAM

E1_31 v.1 Irrequieta tibi dederim cur munera, quaeri ?
 2 Ut tuus in nos sit irrequietus amor.

ALIUD.

E1_32 v.1 Esse in amore vices, alterno machina motu
 2 indicat, et nullas esse in amore moras.

NOM. D.

E1_33 v.1 Adspicis aeterni simulacrum Numinis, in quo
 2 nec finem poteris, reperire caput.
 3 Sed poteris meminisse Dei, meminisse Mariae,
 4 et pariter casus evoluisse meos.
 5 Hoc tibi Reginae fuerit, tibi Matris imago,
 6 et cujus finis nulla, nisi ipsa sibi.

HARLEMUM AD REGINAM MARIAM DE MEDICES.

E1_34 v.1 Quae sit, ut agnoscas, urbs quam Regina tueris,

2 invento poteris certior esse meo :
 3 his nitidis, Medicea, typis, hoc munere preli,
 4 glorior artifices has genuisse manus.
 5 Has lauros doctas passim circumdare frontes ;
 6 quis, Regina, meum non amet inde nemus ?

IN AQUISGRANUM.

E1_35 v.1 Cum movet in populos bellum puer Aliger omnes
 2 et Cyprias toto ventilat orbe faces,
 3 acer Aquisgrani vindex quoque substitit urbe ;
 4 sed torvam inspecta gente reliquit humum.
 5 "Non Venus haec, inquit, teneat, non castra Cupido,
 6 non jocus, et roseis oscula nata genis.
 7 Et celer aufugiens infodit spicula terrae,
 8 cuspis et ad Manes regnaque Ditis iit.
 9 Rettulit exstinctas secum puer ille sagittas,
 10 sed merso calidas cuspide fecit aquas."

II

ELEGIARUM LIBER SECUNDUS (1648 vers)

HYMENAEUS ANGLICUS AD CAROLUM AUGUSTUM MAGNAE BRITANNIAE REGEM.

E2_1 v.1 Non nunc nocte venit, sed clara luce Batavus,
 2 Carole, proque suo Principe verba facit.
 3 Cui prope ter vitae quinquennis Olympias acta est ;
 4 quemque brevi faciat pulchra puella virum :
 5 promittant nisi bella virum patris arma secutum,
 6 vindicat ingentem cum Gulielmus avum.
 7 Auribus (ah !) caedem teneris instillat Apollo
 8 Delphicus : Hispanos et monet urna dolos.
 9 Sed non hi Proceres satagunt pro Principe tantum ;
 10 pro patriis Princeps supplicat ipse focis.
 11 Vidit Arausiades, (quid enim non ille videret ?)
 12 Quot festinatus commoda ferret Hymen ;
 13 Auraniae soboles, cui Regum foedera curae,
 14 qui ligat hinc homines, et ligat inde Deos.
 15 "Unica jam superest, dixit mihi, mascula proles ;
 16 altera spes curis (heu mihi !) rapta suis.
 17 Et poterat gemino tibicine fulta videri
 18 publica res felix, haec nisi damna metum
 19 incutiant. Quid si canum Proserpina crinem

20 demetat, aut Nato mors sit acerba meo ?
 21 Tunc ubi Libertas ? Pietas ubi ? Pollice crudo
 22 flosculus improlis si cadat ante diem ? "
 23 Consulit atque animi mentem trans aequora mittit,
 24 "Estque (ait) e medio concha legenda mari
 25 concha Cytheriacae, si tollas, aemula conchae,
 26 prae qua non adamas, unio nulla placet ;
 27 non spolia e quovis placeant ejecta profundo.
 28 Quamquam habeant laudes litora quaeque suas.
 29 Non Caii placeat litus, non vana tropaea,
 30 denique non umbrae, non simulacra placent.
 31 Non Arabi lapides, Scythici non vena smaragdi,
 32 gemmave non auro concolor ipsa suo.
 33 Cum partes animum nunc has, nunc mittit in illas,
 34 Anglia prae reliquis optima visa legi.
 35 Non Veneris litus Baiae, non blanda superbae
 36 munera Naturae : quaeritur ipsa Venus.
 37 Anglia jamdudum raris celeberrima conchis :
 38 et Venerem tellus scit dare nulla magis.
 39 Protinus occurrit natarum triga tuarum,
 40 Carole Rex : illi de tribus una placet,
 41 ut tribus opponi Parcis, ut tela renasci
 42 stirpis ad invidiam possit, Ibere, tuam.
 43 Hoc ad secretas Heenvlietius attulit aures,
 44 ille auspex toties itque reditque viam.
 45 Haud veritus sacra in Regis turbare quietem,
 46 et Pallatinum sollicitare Jovem.
 47 Juno nec Hollando sua subtrahit ora sequestro,
 48 lucet et in media nocte serena dies.
 49 Haec ita clam fiunt, ne lividus Hesperus adsit,
 50 delicias lecti qui genialis amet.
 51 Sed toties patri, toties audita parenti
 52 suada, Pericleo non semel ore potens,
 53 principis illibata sui populique medulla
 54 obstitit, et clausis vela retorsit aquis.
 55 "Ulterius quid tendis ? ait ; lege litora nostra
 56 qua cognata tibi, qua sita dives humus.
 57 Rudera qua regant arcis monumenta Britannae,
 58 quassaque vicino Danica busta mari.
 59 Proh dolor Arctos non arx haec sola furores
 60 sensit, et incusso barbara flagra metu ;
 61 una nec hac classis praedae dulcedine rapta :
 62 sed feriit nostros multa procella lares.
 63 Totaque compages Cimbris vexata carinis,
 64 vastandi vecors quas stimularat amor,
 65 usque novis patuit plagis Aquilone gelatis,
 66 usque latrociniis et spoliata novis.
 67 Ecquis avaritiae modus ? An piratica Danis
 68 in studio, et quondam non inhonora fuit ?
 69 Quicquid id est, subversa jacent praetoria, turrets
 70 in Frisis, Walachris, omnia strata solo.
 71 Nec Rheno impositas moles, neque castra requiras,
 72 obruta ruderibus jamque sepulta suis.
 73 Et licet Arx absit, quae dicta Britannica vulgo ;
 74 non tamen illius nominis auctor abest.
 75 Sed quid in antiqui spectacula tristia Martis
 76 evehar, ah ! nostris perniciose focis.
 77 Carolus in nostris oculis, animisque Batavis :

78 nosque haud degeneres, Rex, tua cura sumus.
79 Tu potes hostiles procul hinc arcere carinas,
80 vindiceque in dextra nostra reposta salus.
81 Nunc utique in specula Gallo vigilante propinqua,
82 Martiaque Atrebatum signa canente foro.
83 Quas turmas equitum, quas contrahit ille catervas ?
84 Cum Morinis actum, sic modo pergat, erit.
85 Talibus auspiciis surgemus in aethera Belgae,
86 nulla Toletano colla premenda jugo.
87 Tunc Leo inoffensus pacata per aequora curret,
88 atque erit in toto plurimus orbe cliens.
89 Cum nemora et saltus fuerint, ulvaeque palustres,
90 terra vel ad quemvis mobilis icta pedem.
91 Auxiliis firmata novis, Hollandica Tempe
92 effundent gratis Lilia mixta Rosis.
93 Quid multis ? Neque te blandi poppysmata palpi
94 delectant ; neque nos subdola verba juvant.
95 Nescit adulanti se Martius ore Batavus
96 munire ; ad fictos nec sapit ille dolos.
97 Romanosque sales trux respuit aure Batava ;
98 ut qui Bilbilici tempore miles erat ;
99 corporis Augusti Custos, fraterque Latini
100 imperii, socia lectus ad arma manu.
101 Immemor, ah ! iterum de tramite, Carole, labor ;
102 ceu defecta suo lumine taeda foret.
103 Quid cupiat Princeps, uno vis carmine pandam ?
104 Votorum summa haec, filia Regis erat.
105 Connubio ut jungat nato, natumque Britannae
106 audis, osque viri suaviloquentis amas.
107 Addicisque unam, sed primam vota requirunt ;
108 nam redolet lusas ultima Nympha nuces ;
109 stramineaque domo contenta, juvencula nescit,
110 conjugii quid sit copula, quid sit amor.
111 Promittis mediam : sed et haec minus apta marito,
112 quae tantum quintae tempora messis habet.
113 Auctoramentum non est leve nomen Elisae,
114 haec tamen ad pactos esset inepta toros.
115 Quattuor adjiciat Regis clementia messes,
116 trans mare jam fuerit digna Maria peti.
117 Haec senior (quamvis decimum vix attigit annum ;))
118 aptior ad thalamos post breve tempus erit.
119 Hanc concede, Pater ; sperataque gaudia Princeps
120 auferat e regno, Carole magne, tuo.
121 Hanc unam sibi poscit amans : quis fixus amanti
122 terminus, hoc aevo praecipitante virum ?
123 Per fas atque nefas caecus ruit omnis amator,
124 ardorisque sui nescit habere modum.
125 Te quoque, Rex, tensum sensisse Cupidinis arcum,
126 Reginamque suas oculuisse faces,
127 haud dubitem : et pictis solacia missa tabellis,
128 vosque ad Apelleas incaluisse notas.
129 Obtinet et nostra mos hic Regalis in aula.
130 Transiit Oceanas sic Gulielmus aquas.
131 Sic tres expositae nobis cum matre puellae :
132 exhibet et natos cum patre charta duos.
133 Charta sed infelix : nec iis blanditur Apelles,
134 elevat artificem forma venusta manum.
135 Non oculos sedem tenerorum finxit Amorum ;

136 oscula non ipsis invidiosa deis.
137 Cetera si spectes, veri nihil, omnia ficta,
138 non tabulae nobis, ipsa Maria placet.
139 Quod si non scalprum, non aes Gulielmus amaret,
140 at poterat dominae nomen amare suae.
141 Hanc concede, Pater, quam Principis exigit aetas,
142 et Patria. Hic partus spes propioris erit.
143 Unica praeteritis accedat Olympias annis
144 virgo Dionaeos optet inire choros.
145 Nam si nec genius, pubertasve aulica fallit,
146 et Pallatinae fercula lauta gulae ;
147 naturae impulsu, correpta libidinis oestro
148 dicet amatori mollia verba suo.
149 Non coram populo ; Gulielmus dicet in aurem :
150 solaque vel soli nil tacuisse volet ;
151 jam tempus venisse, sui manifesta calor
152 arguet, aligero signa canente deo.
153 Nunc pangenda suo meditabitur oscula sponso ;
154 jamque datura palam, ni pudor obstet, erat.
155 Sobria sed castam cohibere modestia nympham,
156 et juvenile femur continuisse volet.
157 Moribus inferior sanctis Amor : ipse Cupido
158 quantumvis pugnat, nescit amata capi.
159 Tanta verecundam decorat praestantia sponsam,
160 inter delicias Pontificumque dapes.
161 Quod mirere, suos sponsus quoque comprimit ignes ;
162 quodque facit Princeps, non sine teste facit.
163 Jamque exspectata Dominae trieteride quinta,
164 pertaesus vidui taedia longa tori,
165 jam praetextatus, jam plenis fervidus annis
166 in Venerem justo raptus amore ruet.
167 Spectetur tumido generosa Britannica ventre,
168 nostraque non uno pignore regna beet.
169 Annue, Rex, igitur ; ter sanctaque vincula firma,
170 et bene personam commiserantis ages.
171 Quis longas in amore moras, tormentaue laudet ?
172 Quisve Cupidineas optet, ametve cruces ?
173 Ut desiderium levius, concede Mariam,
174 expectet reges Elisabetha procos.
175 Primam omnes, primam noscunt cupiuntque Batavi,
176 totaque gens nobis foedere juncta rogat.
177 Primum urgent proceres ; Brederodus avunculus urgens
178 cernuus augustos supplicat ante pedes.
179 En, cui nec mendax Sicconis fama Batavi ;
180 nec desunt Frisii prisca gubernata soli.
181 En, qui tot proavos comites post terga relinquens
182 transfert cognatas in sua regna manus.
183 Exspectanda dies erit hic quoque, novimus omnes.
184 Crescat in Hollando planta tenella solo.
185 Moribus assuescens nostris, caeloque Batavo :
186 forsan ager frugis fertilioris erit.
187 Quis non, si pariat, "felicia tempora" clamet ?
188 Filius Henricum si modo reddat avum.
189 Auguror : et ludant nisi somnia vana Poetam ;
190 nec mihi de nihilo laurus in igne crepet ;
191 jam videor numerare mares, numerare puellas ;
192 innumeros videor jam numerare Duces ;
193 uxoresque Ducum. Quid ! an ausim dicere Reges ?

194 Debitus ut genti restituatur honos.
 195 Fata sinus habitant istos ; nascetur Adolfus,
 196 et qui Romana fercula cingat ave.
 197 Mitto Aquilas : ornent iterum sua Pilea Gelros,
 198 Pilea Nassausas quae decuere comas
 199 pilea magnanimo quae nomine dotis Othoni
 200 Adela, Nassavio sanguine mixta, tulit.
 201 Hinc Comitum series, Marti devota propago ;
 202 et tandem ex illo stemmate triga Ducum.
 203 Induxisse suis cum dote penatibus Anglam
 204 Reinaldum, prisci temporis acta canunt.
 205 Inde Caledoniis huc nomen adusque Britannis
 206 nobile per Gelros Dux Eduardus erat.
 207 Fratrem minor natu, majorque procacibus ausis,
 208 imperii rapuit quem malesanus amor.
 209 Irruit, impatiens consortis, in oppida fratris :
 210 exhaustit patrias ambitiosus opes.
 211 Tunc nata in mediis Bronchorstia monstra Sicambris ;
 212 pars alia Heeckeris prodigiosa suis.
 213 Horrida fraternis committere signa manipulis
 214 fas Noviomagum, fas sibi Tiela putat.
 215 Desolata jacent ultricibus oppida flammis,
 216 et queritur jactas plurima villa faces.
 217 Vidimus innocuis orbos cultoribus agros,
 218 vidimus extinctos, et sine luce focos.
 219 Exsulat et fracta Clementia pellitur ara ;
 220 occupat ejecti Numinis ira locum.
 221 Numquid in obscuro positas ab origine causas
 222 persequar, incusem si Ducis acta palam ?
 223 Damna gemam potius, detester carceris umbras.
 224 Quantula, proh ! capti gloria fratris erat !
 225 Carole rex, illa si tempestate fuisses !
 226 Aut illa ad mores saecula facta tuos !
 227 Mitius, ah, miseris fulsisset civibus astrum ;
 228 nullaque Barbarica caede maderet humus.
 229 Nam prudentis erit, belli praecidere causas ;
 230 clementis, sparsas sanguine nolle manus.
 231 Raraque carnifici submittere colla securi,
 232 parcere, si quis erit seditione potens.
 233 Paucorum aut poena cum plebe monere Dynastas,
 234 ne scelerum perimat noxa secunda caput.
 235 Supplicibus, Rex, parce tuis ; resipisse Quirites
 236 adspicis, et facti poenituisse sui.
 237 Et melius : vacuo ne Magna Britannia regno
 238 squalleat, et sceptro gloria nulla tuo.
 239 Inconsultus emas victrices sanguine palmas :
 240 has eme, cum nullo terra cruore madet.
 241 Et cum subjectis clemens ignoscere possis,
 242 differ ovaturas per tua damna manus.
 243 Utilis interdum prudentis cautio Lipsi,
 244 Romanaeque Stoeae Principis, 'Ure, Seca'
 245 quamvis difficile est imitari Castora, qui se
 246 eunuchum, ambesis prolibus, ipse facit :
 247 expedit insani furiis quandoque popelli
 248 cedere, et ultrices sustinuisse manus.
 249 Nassaviis aliter pereuntis adempta potestas
 250 Imperii, gnava post reparanda manu.
 251 Fata viam invenient, vosque invenietis, amici,

252 si non nunc ; olim Caesar Adolfus erit.
 253 Surget, io, surget Germanicus alter Achilles.
 254 Non Regum (fateor) quotidiana seges ;
 255 sed nasci plerumque solent de sanguine Regis.
 256 Ut populi votum est, o ita Fata velint !
 257 Desieram, cum fama meas perfertur ad aures,
 258 acceptas nostra condicione preces.
 259 Missa manu quam sperat amans, sperantque Batavi :
 260 per mare quam Princeps ad loca nostra vehet.
 261 Noluit incerto sua carbasa credere Ponto :
 262 certus velivolis per mare curret equis."
 263 Palleat auditis trepida rivalis in aula
 264 Cantaber, et sortem defleat ille suam.
 265 Discat et ignavus, lentoque cupidine tardus,
 266 ingenii quam sit res properantis amor.
 267 Nunc licet, o cives, annali figere clavo
 268 haec nova, post Fastis commemoranda meis.
 269 Nassavios Anglis per sacra jugalia jungi,
 270 ex intervallo cum repetatur Hymen.
 271 Ne solum Hollandi tanto jactentur honore ;
 272 hac quamvis conjux regia missa domo.
 273 Uxores contra varias, unumque maritum
 274 misit ad Hollandos Insula Magna lares.
 275 Nostraque viderunt genialia carbasa Scoti,
 276 magnus et a proavo Crammore venit honos.
 277 Ada soror Regis Mancolmo, Principe Floro
 278 digna, socru Sophia nec minor illa nurus.
 279 Copula conjugii vetus est : agnoscite cives.
 280 Aestimet hinc laudem terra Batava suam.
 281 Ut bene fundari Respublica libera possit,
 282 regis opus fuerat liberiore manu.
 283 Libera qui patulo toleret commercia portu,
 284 hosticaque obstructo qui vetet arma freto.
 285 Finibus a nostris Hispanum avertere Xerxem ;
 286 aurea si nobis condere saecla voles.
 287 Claudere si Belli portas, et pandere Pacis,
 288 Carole, "Pacifici" nomine dignus eris.
 289 Si Romana placent, potes esse Patulcius alter ;
 290 si Romana placent, Clusius esse potes.

IN NUPTIAS NOBILISS. VIRI JOHANNIS POLYANDRI KERCKHOVEN, VIDUI,
 ET ILLUSTRISSIMAE CATHARINAE WOTTONIAE, VIDUAE.

E2_2 v.1 Nubere nos apte, paribus nos nubere taedis
 2 Naso Tomitana suaserat exsul humo.
 3 Hic quoque Kerckhovio lectus praeceptor amorum :
 4 (et quid prudentis praeterit ora viri ?)
 5 Consiliumque placet. Sed ad haec convertere mentem
 6 non vacat : et vidui taedia ferre tori
 7 malit, Arausinos quam non attendere nutus,
 8 qua via facta rotae, qua via facta rati.
 9 Res habeat Cytherea suas : "Nunc jussa capessam,
 10 credita quae tutis auribus (inquit) agam :
 11 et peragam, ducente Deo, quamquam obsita taxo,
 12 et mea sit grandi fulmine quassa Domus."
 13 Sic abit illecebrae ingentis, facundus, et acri
 14 pectore, ad Augustos non metuente loqui ;

15 splendidus eloquii cultu, suadaeque medulla
 16 promptus amicitias conciliare sibi ;
 17 ipsaque amabilitas : cum nil in moribus esset,
 18 carpere quod livor, vel mala lingua potest ;
 19 missus ad invictos sub nomine Principis Anglos ;
 20 et personatus jam Gulielmus amat :
 21 non ipse affatur dominam ; non pascitur oris
 22 nectare ; non oculi sunt in amore duces.
 23 Omnia Kerckhovius, jam Pallatinus amator,
 24 exsequitur, flammis uritur ille novis ;
 25 (non tamen igne suo : tu post carecta latebas
 26 obvelans viduo te, Catharina, peplo.)
 27 Nunc matrem prensat, nunc magni Regis adorat
 28 numen, et obsequiis placat utrumque suis.
 29 Supplicat, et tacitis sua vota immurmurat aris,
 30 votorum summa haec, filia Regis erat.
 31 Haec dum nocturnis submissus amasius horis
 32 mente agitat, domino dum vacat ille suo :
 33 destituit virides Wesicia conjugis annos,
 34 primaque ferales ventilat Anna faces.
 35 "Ecquid Mundus ? ait : Vesica, et inania rerum :
 36 forsitan et hic Aquilo, filia, ventus erit.
 37 Pignora lecta tori, pulchrae tres ordine natae ;
 38 quarum quae natu maxima ; Dousa, tua est.
 39 Jam Nortga, et colles resonant Nordvicides Annam,
 40 et propius dominam villa superba colit.
 41 Anna parens obiit, luctum testante cupresso :
 42 praecessit carum flebilis umbra virum.
 43 Quid faciat viduus ? Non inclinanda Neaera ;
 44 oblita nec foedo cella petenda luto.
 45 Non in vulgivagas hic noster mittat amores,
 46 rivalem posset qui neque ferre Jovem.
 47 Dum Veneres regni nunc has, nunc inspicit illas,
 48 aliger, heu, jaculum misit in ossa Puer.
 49 "Pro te, dixit, ama : non degener incola mundi
 50 invenies collo brachia digna tuo.
 51 Qui modo qui juvenis simulabas vulnera sponsi,
 52 hoc verum in venis jam tibi vulnus habe.
 53 Credere qui potuit flammis trans aequora missis,
 54 cernere et absentes, te quatiante, faces ;
 55 praesenti poterit me conciliante, calori
 56 credere, et applausu Rex stabilire suo.
 57 Hoc age : Peligni recolens edicta Magistri,
 58 ut possis apte nubere, nube pari.
 59 Heenvlietae dominus dominam tibi quaere Britannam,
 60 et viduus viduam : quid minus esse potest ?
 61 Erravi : major quae sors, rogo, contigit ulli,
 62 incidat in casses si Catherina tuos ?
 63 Flandria Kerckovios Equites si jactet alumnos ;
 64 et poterit Comites illa referre suos,
 65 agnatosque Duces : sed praevallet unica virtus :
 66 omnia si perdas, una sit illa comes,
 67 perdididerisque nihil. Virtus super aethera tendit ;
 68 possidet, aeternis perfruiturque bonis.
 69 Et lenocinium forma est : ea fama, voluptas ;
 70 legitimi vindex optima forma tori."
 71 Haec Helice uxori, haec Helice observanda marito.
 72 Ducit ad amplexus haec Cynosura domum.

73 Quid memorentur opes, fundi, praetoria, villae ?
 74 Haec orta, occasum sunt habitura suum.
 75 Vivitur ex raptu ; pereunt, nisi sponse fivaris :
 76 et libertinas arca ministret opes.
 77 "Sat, puto, dotis habes tot jam virtutibus auctus,
 78 fortunae factus jam faber ipse tuae.
 79 Inducenda tuis erit Angla penatibus uxor ;
 80 condicione uti vix meliore potes.
 81 Pignora nil obstant : paribus concurritis armis ;
 82 triga coronatos ornat utrimque focos.
 83 Ex patre Stanhopo numerat Wottonia mater
 84 pignora tot, conjux quot dedit Anna tibi.
 85 Nupseris ergo pari. Sapis, Heenulietaeae dynasta :
 86 anne alibi possis aptius esse, vide.
 87 Consulto viduam viduus peregrinus amasti :
 88 non alia Morus lege maritus erit.
 89 Si centum uxores hunc ducere fata juberent,
 90 illae omnes viduae, nullaque virgo foret.
 91 Hoc si scire voles quid sit, pete moenia Lemi ;
 92 hic ubi Erasmiaca littera scripta manu,
 93 et lepidae lexes, multum ridente Quirino,
 94 qui domitum indomito praeposuisset equo.
 95 Aptior ancillis vidua est puerisque regendis ;
 96 et male divulgatos colligit illa lares ;
 97 mitigat iratos. Hic quid virguncula posset ?
 98 Scaenica quae toto quaeque theatra die,
 99 discursusque vagos pilentis mollibus optat ;
 100 largius interdum quam patiuntur opes,
 101 qua (bene si excutias) magis infantaria nulla est,
 102 ad sustentandam qua decet arte domum.
 103 Hic viduae sapiunt : sollertius omnia curant ;
 104 obsignant capsis singula quaeque suis.
 105 Attendunt ad rem melius vernante puella,
 106 quae redolet lusas, symbola sparsa, nuces.
 107 Quod si sub primo Lucinam experta marito,
 108 taedia vix sterilis sunt metuenda tori.
 109 Certior in vidua, ne sit cornutus, amator ;
 110 fallere cum nequeat zona soluta fidem :
 111 et de virginibus dubitet : non omnibus, absit,
 112 necdum omnis periit virginitatis amor,
 113 Vestalisque pudor : nonnumquam fama laborat ;
 114 concidit et justos flosculus ante dies.
 115 Non expectato cum concidit auspice virgo.
 116 Nec timet intacti vulnera prima loci.
 117 Tollunturque pedes. O, vere pronuba virgo !
 118 O, tantum constans in levitate tua !
 119 Cura pudicitiae major, (si creditur Actis)
 120 Ursula, sive tibi ; Sentia, sive tibi.
 121 Undecies millena cohors ita reppulit Hunnos,
 122 maluit ut caedi quam violata queri.
 123 Atque hinc Virgineis erecta tropaea manipulis.
 124 Si non sic hodie, num minor ergo fides ?
 125 Inspuite aetheria Nymphae Oceanitides aula,
 126 si turbant spurcae gaudia vestra lupae.
 127 Horreat, et motam verset Dux agminis urnam,
 128 damnet et illicitos intemerata toros.
 129 Hactenus haec obiter, monumentis eruta priscis,
 130 insertum libuit versibus ire meis :

131 ut merito sanctis tua Vorna superbiat istis,
 132 huc sic palantes expulit unda rates.
 133 Veronam perhibent patres : nos credere Vornam,
 134 tum designati vult positura loci.
 135 Hinc si Vorna nequit, Catharina, Britannica dici ;
 136 adventu poterit mox, Catharina, tuo.
 137 O, nimium felix, o, terque quaterque beata,
 138 Heenvlieta dominam te venerante suam !
 139 Hic calcata teres Medicaeis limina plantis :
 140 Reginae hospitium quod fuit ; ecce, tuum est.
 141 Aemiliae, Catharina, leges vestigia nostrae :
 142 Aemiliae hospitium quod fuit ; ecce, tuum est.
 143 Quo feror ? Heu, nimium longo sermone molestus !
 144 Sponse, dabis veniam : nec minus Angla dabit.
 145 De conjectura tua Vorna est : fama Britannas
 146 asserit ; hinc laedi se Catharina putet ?
 147 Majus opus movi, quo frontem ducere possit,
 148 cum de virginibus jussa Thalia queri.
 149 Quo non fama rapit ? Falsum revocate poetam ;
 150 quae vidua est, aliquo tempore virgo fuit.
 151 Sed nihil hic dixi, magni sententia Mori est.
 152 Quisquis plus Moro non sapit, ille sapit.
 153 Scilicet admissis haec lusibus apta putabam ;
 154 forsitan et vestris non aliena jocis.
 155 Cum res cum vidua est, non virgine ; damno Catones :
 156 denique, Woelwici rustica Musa mea est.

MANIBUS JOHANNIS ERPENII, THOMAE ERPENIO,
 INCOMPARABILI PATRI COMPARABILIS FILII.

E2_3 v.1 Erpenii patris exsequias celebravimus olim,
 2 sedatusque aliqua tum mihi parte dolor ;
 3 unica spes matris quod natus filius esset,
 4 fundaret claram qui pietate domum.
 5 Jamque videbatur nova lux exorta Batavis,
 6 atque erat eximium qui referebat avum ;
 7 et genium patris, nec in ulla degener arte,
 8 moribus antiquis, nec probitate minor.
 9 Qui per Virtutis templum adscensus Honoris
 10 jam Monachidamae syndicus urbis erat.
 11 Felix, o felix hoc successore Biaeus !
 12 Civibus ut felix Leida duobus erat.
 13 Pro dolor ! in coetum Procerum, Patrum que receptum,
 14 rettulit in censum trux Libitina suum.
 15 Sic quem sperabat decus immortale senatus,
 16 jam consessorum est omnium acerba cinis.

SOMNIUM NUPTIALE SACRUM THOMAE HOWARD ET WALURGAE A KERCKHOVE.
 AD JOHANNEM A KERCKHOVE, SPONSAE PATREM.

E2_4 v.1 Jungitur Howardo Walburga Batava Britanno,
 2 inspiciatque faces ipse Cupido suas.
 3 Honsela, da veniam ; si festam Principis aulam
 4 desubito natis cogor adire modis.
 5 Protinus in gustu (dices) tam vile minutal ?

6 Scriverii discas nil valuisse preces.
7 Omnibus, ah, tota satagebam luce medullis,
8 ut canerem sanctis pronuba verba toris.
9 Nunc subeo trichilas, nunc proxima lustro vireta ;
10 in Voorschotanis nulla Thalia plagis.
11 Vlieta mihi fons est, pro Pindi collibus Haga ;
12 Haga per undantes irrequieta togas.
13 Nil ago, Kerckhovi ; nec fiunt carmina morsis
14 unguibus : haud votis favit Apollo meis.
15 Dicebam Musis nequicquam saepe vocatis.
16 Heus, ubi nulla venit, tu mihi, Somne, veni.
17 Mox ubi me tetigit cinxitque papavere Morpheus,
18 terrebant oculos haec simulacra meos.
19 Pistrinum vivis florere natatile prunis
20 vidimus et vinctas Tethyos esse manus.
21 Ipsa videbatur fornacula poscere lymphas,
22 tangere vicinas sed prohibemur aquas.
23 Stat mola tranquillo non longe dissita ponto,
24 mox a tardipedi corripienda Deo ;
25 si non correpta est ; furni cum proxima moles
26 ardeat, incenso jam violenta foco.
27 Res nova ; sed veterum reminiscimur acta dierum,
28 ne mage sint visis prodigiosa meis.
29 Clementem referunt Chersonis in aequore mersum,
30 sanctaque marmoreis ossa recepta tholis.
31 Perdendo quae juncta viro fuit ancora merso,
32 protinus aetherae facta columna domus ;
33 et natat in medio templum venerabile Ponto :
34 ad quod semotis arida ducit aquis.
35 Itur ad exsequias, et inenarrabile fanum.
36 Hic etiam, siccum si patefiat iter,
37 ecquis flammivomis succederet aedibus hospes ?
38 Aut hunc dira fames, aut stimulare amor.
39 Accessit tamen haud perterritus advena miles,
40 vellet et affusas officiosus aquas ;
41 improba ne totos populetur flamma penates :
42 aut fleat ambustis turpior illa genis.
43 Et simul adstantem digito notat indice Nympham ;
44 atque ait : "Ex salsis sic Venus exit aquis.
45 Haec, haec, diva Paphi est : si non Hollanda Cytheris
46 fallor, an illa mihi dura negabit aquas ?
47 Perdita, clamatur, pistoria tota supellex,
48 cunctaque cum cribro farra perusta suo.
49 Sed mitis concedet aquas : eia, impiger hauri ;
50 exprobrat exhaustum nulla puella latus.
51 Quo laterum robur ? Quo cetera membra ? Moraris ?
52 Alliciat famulae vel tumor ille rosae.
53 Afflictae tangat te commiseratio Nymphae :
54 sit similae, si non pollinis usus erit.
55 Aut, pertunda, fave : membrana foramine multo
56 pertundenda, tua vel facienda manu."
57 Haec Hospes fatus, medios se jecit in ignes ;
58 jamque exstincturus, si licuisset, erat.
59 Itque reditque viam toties, sed perculit haustum,
60 antlia concessis non oneratur aquis.
61 Nititur adversum mulier sufflamine longo.
62 Inter utrosque diu rixa jocosa fuit
63 Gratia, Suada, Lepos prohibentis in ore morantur :

64 vis tamen eloquii major in ore viri.
65 Advena praepollet : concedit victa roganti,
66 accipit et tantum queis levet arma malum.
67 Partibus admota est quam det crepitantibus unda ;
68 antlia nunc nimis paene laborat aquis.
69 Ecce, triumphatae frons quam festiva puellae !
70 Quam comis fasces subjicit ipsa suos !
71 Illa recusantis facies austerula nusquam ;
72 adjuvat, et coeptum non remoratur opus.
73 Panditur ostiolum, per quod deducitur hospes ;
74 errat, et obsaepum nullibi cernit iter.
75 Quis tumor ille rorae, famula quam texerat umbra,
76 discit, inaspicuis perfruiturque locis.
77 Invitatus ad hunc florem meus advena cesset ?
78 Auxiliatricem non ferat acer opem ?
79 Continuo sociis advolvitur urna lacertis ;
80 flammaque permixto coepit ab imbre mori.
81 Ocius inde gravis cinerum per inania nubes
82 spargitur, et toto pallor in ore sedet.
83 Sopitos cinis iste meos turbavit ocellos,
84 (indocilis sordes hac ego parte pati.)
85 Erigor, acceptis consignans cuncta tabellis ;
86 iudice me, festo commemoranda die.
87 Quae quid portendant, cantet Zulichemus Apollo,
88 non ego, quem sacris arcet Apollo suis ;
89 destituuntque deae ; nisi forsitan imagine prodant
90 gaudia, Kerckhovi, quae tibi spondet Hymen.
91 Nam si quae nostras lateat sub schemate virgo,
92 Walburga est : famae pompa secunda tuae.
93 Howardus, miles ; motas qui tollere flammas
94 optat amans : sapiens nec nimis alta petit ;
95 Norfolci memor excidii : prudentia tanta,
96 ne sibi vicinae Principis obsit amor,
97 quid cum ferali cornice, vel oscine parra,
98 admittant fati si melioris aves !
99 His exstinguendis virtus Howardia flammis
100 advolat, ardores ut levet ipse suos.
101 Omnia conveniunt : nec ludit imago poetam :
102 gratulor. Inde novus conciliator honos.
103 Adscivisse tibi Wigboldum et stemmata Dousae,
104 non satis : atque Anglo splendor ab orbe placet.
105 Sic licet ipse opibus pollens, nec stirpis egenus,
106 (cum tot Kerckhovios Gauda celebret avos ;))
107 uxor ducta tibi Stanhopaeo clara marito,
108 et quae Wottonos (nomina magna) crepet ;
109 Qui pro Rege loqui possint, et Nestora praestent ;
110 quos ootet Gallus, quos et Iberus amet.
111 Gaudeat in nato tua si Catharina Philippo,
112 quid mirum ? Auctores quos imitetur habet.
113 Tanta cui thalamis nupsit Matriona secundis,
114 Kerckhovi ; cum vix altius ire queas,
115 et genero felix sis duplice, niteris ultra.
116 Quid petis ? An sperat tertia nata Ducem ?
117 Quaerebam (memini) nuper, quis finis honorum ?
118 Jam scio : respondes "Hoc tibi dicet Hymen".

IN NUPTIAS NOBILISSIMI VIRI WYBOLDI DOUSAE ET ANNAE KERCKHOVIAE.
AD SPONSAE PATREM EPISTOLA FAMILIARIS.

E2_5 v.1 Kerckhovi, quae meta tibi, quis finis honorum ;
 2 o numquam Flandris inficiande tuis !
 3 Majores scit Ganda tuos, cunasque Batavus :
 4 agnoscit Dominum Vlieta vetusta suum :
 5 emporium antiquum, mihi Vlietae nomine censum
 6 scribitur insulsa quod modo Wilta manu.
 7 In thalamos deducta tuos Wesikia dives.
 8 Hinc tibi tres natae ; juraque patris habes.
 9 Hinc nostri saltus, venatio, Principis aula,
 10 Puttenique patet juridicina fori.
 11 Quae majora tuis addi successibus optes,
 12 omnia complexus ? Diique deaeque favent :
 13 una sed infestis te percutit Atropos alis,
 14 una jubet viduo te recubare toro.
 15 Eripit uxorem. Wesikia, gloria matrum,
 16 occidit. Aemiliae nunc ubi dulce latus ?
 17 Nunc ubi ret maestis et egenis altera Dorcas ?
 18 Deliciae tanti praesidiumque viri ?
 19 Illicet ! Excessit, fatalibus obvia jussis,
 20 exemplum rarae quae pietatis erat :
 21 nec generofa minus, consummatique pudoris :
 22 jure suo Latias inter habenda nurus
 23 sed quorsum haec ? Quorsum meus unguis in ulcere tanto ?
 24 Haec fuerant alio commemoranda loco.
 25 Haec tam festa dies non incessanda dolore,
 26 accedat titulis cum quoque Dousa tuis ;
 27 Wigboldus (pater) ecce tuam nunc pugnat in Annam.
 28 Anna sit in Fastis Anna Peranna meis !
 29 Wigboldus victor, proavum qui reddat, avumque :
 30 fundataque domo teque patremque beet.
 31 Gemmea septenis quem Gloria provehit alis,
 32 qui toties nostrae Palladis arma tulit
 33 prae reliquis magni reddat mihi nomina Dousae,
 34 et Tutelares, Leida Superba, tuos.
 35 Illius o Dousae, Martis Phoebique potentis
 36 Aonias debet cui pia turba deas.
 37 Lugdunumque suas cum Libertate Camenas,
 38 cum par Hollando non foret Astur eques.
 39 Ventum erat ad summum. Fovet ipsa pericula ductor,
 40 et Veneri sacras advocat acer aves.
 41 Tunc Cytherea suas huic submisisse columbas
 42 dicitur - aut misit (quod reor) Ida suas -
 43 Nordvicides inter celeberrima nympha puellas,
 44 summaque Dousaeis missa per astra modis.
 45 Ida columbatim defigere basia sollers,
 46 quae Paphiam poterant sola probare deam.
 47 Culta quidem Dousae, at juvenili culta sub aevo,
 48 cum calor in venis et Venus ipsa fuit.
 49 Basiolis Wigboldus avum quoque reddere possit :
 50 non semper Martis cogitat arma sui.
 51 Hic aliis opus est armis, ubi tollitur heres ;
 52 Dousica vel Pleias : sic quoque reddat avum.
 53 Optima quem fecit numerosa prole parentem
 54 Zulena conjux Elizabetha domo.
 55 Ecquid pertundam, subigumque, premamque precemur,

56 nil profecturos ad sacra nostra deos ?
 57 Haec fortes praestare sibi tria numina possunt :
 58 sola haec Lucili vis generosa potest.
 59 Sicque sola potest, quam Lex Cornelia nondum
 60 sustulit, aut ullo tollere jure volet.
 61 Moribus antiquis fuerat tolerabile telum ;
 62 de quo nec poterit femina nostra queri.
 63 Quid loquor ? Humane, Kerckhovi, ignosce loquenti :
 64 flammea, sed pueris ista tegenda, volunt.
 65 Esto igitur modus his : mox sub lodice puella
 66 cetera, Wigboldo sed praeunte, legat.
 67 Discat et haec sponsus tabulis inscripta Batavis,
 68 Henulietam Dousae perplacuisse Domum.
 69 Nunc quoque connubio jungi permittere Fata,
 70 clarius ut possit, quod fuit, esse Genus.

IN JOHANNIS POLYANDRI A KERCKHOVEN, THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS,
 ET CATHARINAE CAROLAE, NUPTIAS SECUNDAS.

E2_6 v.1 Virgo diu constans, lentoque cupidine tacta,
 2 quae sprevit varios saepe petita procos,
 3 ne posthac senio steriles decurreret annos,
 4 solaque ne patrias dinumeraret opes ;
 5 tollendi haeredis tandem inflammatur amore,
 6 frigidulumque fugit sicca puella torum.
 7 Haec, Polyandre, tibi nunc ducitur altera conjux,
 8 et sobolis geminos urget et urit amor.
 9 Sufficit haud unus, qui, te cum fata tulere,
 10 (sero tamen rebus possit adesse tuis).
 11 Non Henulietaeae captus dulcedine Nymphae
 12 filius, aut Aulae clarus honore, volet.
 13 Res uxoris aget, suaque ipse negotia prudens,
 14 ut cui Vorniaci tot famulantur agri.
 15 Ipse igitur, Vir clare, novae succurre maritae.
 16 Hoc age ; sollertem Carola reddat avum.
 17 Aut illum, qui docta legat vestigia patris,
 18 labraque Pegasio rore tenella riget.
 19 Hoc age, sepositis paulum, Polyandre, libellis,
 20 hoc age, post vidui taedia muta tori.
 21 Vere tepent flores, ver fecundissimus annus ;
 22 sentiat et talem Carola vere virum.
 23 Junoni quae debet opes, mentemque Minervae,
 24 se Veneri et pariter debeat una tibi.

IN NUPTIAS DANIELIS HEINSII ET ERMEGARDIS RUTGERSIAE.

E2_7 v.1 Cum cestum tibi diva Venus thalamosque pararet,
 2 sterneret et sanctum Cinxia Juno torum,
 3 annueretque suam Rutgersia candida noctem,
 4 turbarunt scaevi tot tua vota dei.
 5 Ilicet exsequias matri, dominaeque parenti,
 6 quae nobis, Heinsi, tot dedit una sales.
 7 Occidit excellens matrum decus, occidit ipsa
 8 integritas, priscae simplicitatis amans.
 9 Prima tuas, Heinsi, lacrimas haec hauserat olim,

10 haec risus blandis viderat ire genis.
 11 Et nunc sperabat dulces te patre nepotes,
 12 Heinsiolumque sua ludere posse domo.

IN NUPTIAS CL. V. OTTHONIS HEURNII, JOH. FIL. ET JOANNAE A SWAANSWYK.

E2_8 v.1 Tene etiam, o Heurni, nuper praedata puella est ?
 2 O cui de nihilo non venit iste color.
 3 Tene etiam certo tetigit puer aliger ictu,
 4 perculit et cesto te Venus ipsa suo ?
 5 Scilicet hinc albes. O Heurni, scilicet hinc est,
 6 strata quod in lecto, pallaque nulla sedet.
 7 Hinc est, si nescis, quod tam tibi dura videtur
 8 culcita, ceu plumis quae viduata suis.
 9 Scilicet hinc dulci fraudantur lumina somno,
 10 lassaque versati corporis ossa dolent.
 11 Aeger es (hoc Medico dicenti ignosce Poetae)
 12 aeger es, et toto pectore vulnus alis.
 13 Vulnus alis, quod nec lenire Machaonis herbae,
 14 nec sanare Criton, ipsaque Hygeia potest.
 15 Sed, quae Laurentes inter dilecta puellas
 16 Jana tibi tanti vulneris auctor erat,
 17 sola potest istas animi tibi demere curas ;
 18 una tuis haec est una medela malis.
 19 Quare age, quae blandis te primum cepit ocellis,
 20 fac eat expassis in tua colla comis.
 21 Osculaque hic figat mille altera et altera mille,
 22 altera mille oculis, altera mille genis.
 23 Addat et argutis tibi quod promittet ocellis :
 24 crede mihi, toto corpore sanus eris.
 25 Languide, quin surgis, mediamque invadis amicam ?
 26 Ah pereat, quisquis lentus amare potest.
 27 Languide, quid fastus Dominae causarum iniquos ?
 28 Hos comites formae gens habet illa suae.
 29 Perfer et obdura. Tolerantia proderit olim :
 30 hic ubi vicisse est, continuasse diu.
 31 Hoc age, cum furvo te nox velabit amictu,
 32 non grave sit clausas ante sedere fores.
 33 Non grave sit duras cithara mollire fenestras,
 34 hosque tuos casus, fataque tanta queri.
 35 Dejicies istos, crudelia lumina, fastus :
 36 i modo, da victas vincla sub arta manus.
 37 Seu flammis torrere velit, seu caedere loris,
 38 omnia constanti sunt adeunda pede.
 39 Hoc age. Nec renues, Heurni, nec turpe putabis
 40 vincula in ingenuo pectore serva pati.
 41 Juppiter invictus (nisi victus Amore fuisset)
 42 haec eadem, haec olim vincula gessit amans.
 43 Cujus ad exemplum nostri gessere parentes
 44 vincula, ad exemplum cuius et ista geres.
 45 Gessi ego, jamque aliquot juvit gessisse per annos :
 46 grataque servitii vincla fuere mei.
 47 Nam memini, primo cum me Puer ussit amore
 48 Cyprius, et caecas torsit in ossa faces :
 49 una meas semper versabat femina curas,
 50 unaque mi risus, unaque fletus erat.
 51 Ante fores semper, fidusque ad limina custos,

52 non veritus nuda ponere corpus humo.
 53 Exstinctae jacuere faces, jacuere libelli,
 54 carminaque a populo quae potuere legi.
 55 Myrteaque iratis detracta corona capillis
 56 testis ibi flammae saepe relicta meae.
 57 Nosti dulcis Amor, nosti formose Cupido,
 58 tunc ego quam nullo corpore totus eram.
 59 Ibam praeda recens manibus post terga revinctis,
 60 ibam etiam pompae pars quotacumque tuae.
 61 Ibam, sed cupide, teque et tua frena sequebar :
 62 nam comes in turba nostra puella fuit.
 63 Ibat et haec fuis per eburnea colla capillis,
 64 ibat et haec currus pone secuta tuos.
 65 Anna favens ibat. Procul, o, discede, viator :
 66 ipse ego Io magna voce Triumphe ! Canam.
 67 Non sumus, o victi, dicebam, vicimus ipsi :
 68 incidit in casses praeda petita meos.
 69 Ecquid ad haec noster violento pressus amore
 70 Heurnius ? An voti compos et ille sui ?
 71 Auguror. Et certe (nisi me prognostica fallant,
 72 et toties frustra laurus in igne crepet)
 73 jam Dominae victor tota narratur in urbe,
 74 qui dederat victas ad tua vincla manus :
 75 Heurnius ille, inquam, nuper tua praeda, Cupido,
 76 cincta triumphali tempora fronde gerit.
 77 Quae sperata fuit, nunc illi pacta puella est :
 78 ite, o rivales, nunc licet, ite domum.
 79 Ite domum vacui, venit Heurnius, ite miselli,
 80 quos Lepor et blandi destituere Joci.
 81 Jam jam conventum est : cum Signatoribus auspex
 82 adfuit, et Dotem qui pepigere viri.
 83 A populo dictum feliciter ! Ite miselli :
 84 quas petitis cives, hospes habebit opes.
 85 Ille utrix meus ; ille meus, nisi Jana vetaret,
 86 sponsaque jam totum diceret esse suum.
 87 Pulcher Hymen Hymenaeae veni ; quid gaudia differs ?
 88 Tuque ades, o, sacris Cinxia Juno tuis.
 89 En Venus ipsa suos ad frena citavit olores,
 90 et levis in Coa veste coruscat Amor.
 91 Ite agite, o pueri : genialem sternite lectum :
 92 non patitur longas ille vel illa moras.
 93 Et jamdiu Veneri lucet gratissimus ignis,
 94 noxque soporiferos Pronuba jungit equos.
 95 Nunc decet, o Juvenis, substernere brachia collo,
 96 basia virgineis nunc dare multa genis.
 97 Quod Felix Faustumque igitur, da basia, Sponse.
 98 Da genitor matri quod dedit ante tuae.
 99 Sic Prema, sic Subigus, sic felix Perfica ; detque
 100 poste coronato vota secunda Deus.

IN NUPTIAS THEODORI SCREVELII, ET MARIAE TEILINGIAE.

E2_9 v.1 Vulgus iners, brutumque vale ; tu nobilis ordo
 2 addicte, o Charisin Aonisinque veni :
 3 lingua animisque fave. Viridi domus obsita lauro
 4 huc genus Uraniae dium Hymenaea vocat.

5 Lucida quin etiam taedis strepit undique, risus
 6 admiscetque jocis, deliciasque facit.
 7 Vestibulumque Iupo perfusique unguine postes ;
 8 exornat structos lana colusque toros.
 9 Esse quid hoc dicam ? Numquid tibi sacra parantur,
 10 Screvelli, numquid conjuga Juno favet ?
 11 Ergo tibi sperata diu Teilingia, votis
 12 mille petita, tibi pacta puella venit ?
 13 Luteane augustam velabunt flammea frontem,
 14 comet et evinctas hasta recurva comas ?
 15 Ha ! Delenificae quanta est tibi gratia linguae !
 16 Qualis inest labris mellea Suada tuis !
 17 Tun' potes ad thalamos illam perducere ? Tune
 18 adsuades socii dulcia vincla tori ?
 19 Ah ! frustra (memini) quotiens quotiensque fuere,
 20 hanc sibi in uxorem qui petiere, proci.
 21 Ah ! Quotiens foribus sarta ambitiosa pependit !
 22 Projectae quotiens intepuere faces !
 23 Nocte sub obscura quotiens exclusus amator
 24 percussit citharae fila canora suae !
 25 Femineo quotiens ululatu frigidus algo
 26 hiberno obstructas questus inante fores !
 27 Talis propter aquas deflere Caystrius ales
 28 dicitur ore suam deficiente necem.
 29 Ah ! quotiens mutis dixit convicia claustris !
 30 Carbone (ah !) quotiens janua picta fuit !
 31 "Haec adamante sata est, haec tigridis ubera suxit ;
 32 Haec nihil humanae condicionis habet :
 33 tam fera, tam dura est ; prece nulla flectitur, aures
 34 obstruit ; et servos spernit iniqua suos."
 35 Hanc tua, Screveli, mollivit gratia linguae,
 36 haec usu facta est mancupioque tua.
 37 O quae suada tibi est ! vica haec pota : copula nulla
 38 auxilio sexu de sequiore fuit.
 39 Victa tuis folum verbis Teilingia, gaude,
 40 ad te jam tumida virginitate venit.
 41 Illa a te zonam vult solvi fervida, soli
 42 oscula mille offert intemerata tibi.
 43 Eia ! O, vicisti : fasces tibi subjicit ultro,
 44 sponte sua amplexus occupat illa tuos.
 45 Nunc capiti impositas Phoebi languescere frondes,
 46 myrtea nunc Veneris sarta virere facis.
 47 Signatae tabulae, dictum : "Feliciter ! Euge !
 48 Sparge, marite nuces, frange, marite, nucem,
 49 si nucleum esse velis, miscentur tristia laetis ;
 50 dulcacida emittit spicula parvus Amor.
 51 Hoc age, nunc centum sis basia, et altera centum,
 52 millia deinde, et post millia mille rape.
 53 Ecce ! Voluptatem robustam multa cupido
 54 praesagit ; spondet gaudia multus amor.
 55 Gaudia, quae impatiens toties totiesque petisti,
 56 dum quod amas fieri copia nulla potest.
 57 Dum desolatus spatiis seclusus iniquis
 58 saepius ingratas isque redisque vias.
 59 Pulchra tuae Veneris dum non datur ora tueri,
 60 dum tantum praesto sunt simulacra tibi
 61 illius, et nomen dulce obversatur ad aures,
 62 cum comes is Faunis capripedumque gregi.

63 Qua lauri illudit nemus, et virgulta loquuntur,
 64 qua nitidos Sparnus lambit honorus agros.
 65 Et tua quot gemitus fudit Teilingia ! Sola
 66 dum colit Alcmariae pinguis rura suae.
 67 Dum te lapsa animi vigilat, te somniat unum ;
 68 ah ! Quae tunc fibras anxia cura coquit !
 69 Ite procul curae, maestum genus, ite labores ;
 70 nunc voti compos factus uterque sui est.
 71 Nunc redeunt veteres patefacta in membra calores,
 72 nunc abit in faciem, qui fuit ante, color.
 73 Nunc licet arguto e vultu pendere supinum,
 74 sponse, tibi, et sponsae tangere colla tuae,
 75 colla, suo Cypris quae nectare proluit olim,
 76 polliceque effinxit composuitque suo.
 77 Quam Charis in terram gravida de matre cadentem
 78 excepit, nutrix cui dea Athena fuit.
 79 O te felicem ! cui talis contigit uxor ;
 80 nescio quae major praeda petenda tibi.
 81 Flexile nunc ejus circum ligat ora lacertum,
 82 nunc labra, sponse, labris junge, pedemque pedi.
 83 Hei mihi, quam suave est pulsare Cupidinis aedes
 84 pectine, seque avidis illatebrare locis !
 85 Dum tibi ter fit Amor, tibi ter quoque Mater Amorum ;
 86 dum tibi bis ter sit Fascine, dulce mori est.
 87 Dulce mori, ut vivas. Postquam aeger anhelitus artus
 88 dividit, et friges. Vivere reddit Amor.
 89 Qui cubat hoc morbo, nulla sanabilis herba est,
 90 solus Amor potis est vulnus opemque dare.
 91 Sic ab Achillea quod vulnus senserat hasta
 92 Telephus, hac versa post vice sensit opem.
 93 Hoc age, ad officium propera, Sponse impiger : illa
 94 est tibi causa boni, quae tibi causa mali.
 95 Nunc post mille cruces exantlatosque labores
 96 erige securo languida membra toro.
 97 Abjice dividias, aerumnasque abjice, nunc te
 98 blanditi lusus, doctaque verba juvent.
 99 Nox est, sponse, vides ? Jam deserit Hesperus Oetam ;
 100 ille ancillatur, dique deaeque favent.
 101 Noctivagae citius solem decesse sorori
 102 nonne vides ? Caelo sidera nonne vides ?
 103 Frange moras omnes, abiit pars tertia noctis ;
 104 desultor bijugo Lucifer ibit equo.
 105 I procul hinc, Somne, o juvenis placidissime divum,
 106 injice vincla aliis, pervigil obstat Amor.
 107 Hos sinite insomnes committere proelia, donec
 108 turgeat optato pondere ventris ebur.
 109 Tunc hos somniferae continge cacumine virgae ;
 110 nunc nox est Paphiae pervigilanda deae.
 111 Non haec aeriis nequicquam conqueror auris ;
 112 somne, facis voto pondus inesse meo.
 113 Nunc gemitus imoque trahit suspiria corde
 114 sponsa, viri indocilis ferre patique jugum.
 115 Tu gemitus risus, suspiria gaudia cense ;
 116 armaque in hanc agilis dirigo, victor eris.
 117 Multa columbatim da suavia, brachia tende,
 118 et rue in amplexus, quae fugit, illa cupit.
 119 Indole non alia fecit Natura puellas,
 120 proclive ad fraudes insidiasque genus.

121 Nolle harum velle est ; adhibenda hic cautio, Caje,
 122 si joca vis Cajae deliciasque frui.
 123 Hoc mea me docuit dulcis Gulielmia conjux,
 124 delictum illa, animae dimidiumque meae,
 125 quam nunc ter denas mecum colludere noctes,
 126 et dare conchatim basia, Luna videt :
 127 diuque, precor, videat, conjuxque puerpera fiat,
 128 ut Scriveriades ambiat ora patris.
 129 Hoc est conjugii decus, haec laus unica nuptis,
 130 haec noctu - vigilae praemia sola Deae.
 131 Non placet improlis mihi vita, et Perside gaza,
 132 divitiisque Midae Croesi opibusque frui.
 133 Quid sunt divitiae, si vita illiberis exstet ;
 134 talis, Screveli, non tibi vita placet.
 135 O factum bene ! Quod Teilingia ducitur uxor,
 136 et te quod figit cuspide Caeles Amor.
 137 Tu, Lucina, fave ; tuque, o bona Persica, semen
 138 cum fructu accipiat Terra, sinuque tegat.
 139 Cajus erit pater, et mater quoque Caja ; novemque
 140 mensibus exactis nobile pignus erit.
 141 Discidium procul hinc Discordiaque exsulet ; icta
 142 conjugii rumpat foedera nulla dies.
 143 I procul hinc, Livor, tu qui divortia suades ;
 144 frustra es : constanti glutine vinxit Amor.
 145 Avolet hinc turtur solus, cornicula sola,
 146 parraque, concordi quae mala scaeva toro.
 147 Pronuba Juno veni, seu mavis Cinxia dici,
 148 Unxia seu dici, seu Domiduca velis,
 149 seu juga, sive adeo gaudes Manturna vocari ;
 150 te sibi devota poscit uterque prece.
 151 Tu, dea, praeluces festum nubentibus ignem,
 152 solemnemque toris tu, dea, porgis aquam ;
 153 adsis : ante tuas sponsus se cernuat aras,
 154 imponit libum farraque mixta sale.
 155 Juno fave : tibi sacra facit timidissima virgo,
 156 et cadit, at dempto felle, capella tibi.
 157 Juno faves, veneranda faves dea. Victima pondus
 158 haec habet ; et lecti culcita bile caret.
 159 Auguror et voveo mamma saliente sinistra ;
 160 det deus his votis auguriisque fidem !

IN NUPTIAS MARCI ZUERII BOXHORNII CUM SUSANNA DUIVE-LARIA.

E2_10 v.1 Fulminat adversos dum Trompius acer Iberos,
 2 et trahit armatas sub juga nostra rates :
 3 mollius ad Dominae Boxhornius occinit aures,
 4 et placet e medio praeda petita mari.
 5 Ille quidem Martis, meus hic (Venus inquit) alumnus :
 6 Tiro meus, Phoebi qui veteranus erat.
 7 Si numeres annos, juvenem trieteride nona
 8 conspicis ; ingenii si monumenta, senem.
 9 Nec Phoebi, mea signa sequens, pede conterit ancum :
 10 exercet doctas non minus ille manus ;
 11 aut elegis, quos dictet Amor ; vel Iasonis armis,
 12 aurea cui Baetis vellera debet Iber.
 13 Virgo, Cytheriacae non infima gloria pompae,
 14 adfuit ; una novem plus valitura deis.

15 Adluxitque facem, dictatoremque secuta
 16 Dubris Acidalia proelia pinxit acu.
 17 Mox, licet, exspectes captae miracula Bredae,
 18 sertaque Nassavias quae decuere comas.
 19 Laudet Arausinos, me non prohibente, triumphos :
 20 concilior Marti sic Cytheraea meo.
 21 Et nunc in Valachris Bredam prelumque Batavum
 22 respicit, et longas increpat usque moras.
 23 Tum Venus advolitans, geminis invecta columbis,
 24 "Succurram votis, inquit, alumne, tuis.
 25 Pallada praeteream, desertaque regna Lycei ?
 26 Et nolim celeri te remeare pede ?
 27 Non ita : nam nostras non dedignata columbas,
 28 sanguine Pegaseas Leida redemit aquas.
 29 Remige non opus, ut properes : opus alite curru ;
 30 me vide, et Hollandis restituere tuis.
 31 Dissolvensque suos, ait inclinata, jugales ;
 32 una mihi satis est, una columba tibi.

AD M. ZUERIIUM BOXHORNIIUM.

CUM EI SUASORIAM ERASMI DE INEUNDO MATRIMONIO MITTERET.

E2_11 v.1 Ille orbis Phoenix, Zueri facundus Erasmus
 2 nunc flammis docto, quas alit, ore vomit.
 3 Mittitur, ut capiat te tandem suada Batavi,
 4 et trahat ad sancti dulcia regna tori.
 5 His certe persuasus erat Montjoius heros,
 6 protinus estque Anglo juncta puella viro.
 7 Improbe, quid vultum ducis ? Tua frivola noster
 8 damnat : ab insulso, non Cicerone, fluunt.
 9 Accipe conjugii laudes, praeconia matrum ;
 10 haeredes, et quae commoda sexus habet.
 11 Cetera ne cures, caelebs dissuadeat auctor.
 12 Cui non alluxit pronuba Juno facem
 13 Non Venus arrisit ? Spretusque Cupidinis arcus ?
 14 Gaudia cui nullus certa spondit Hymen ?
 15 Excitet ignavam suasoria seria mentem :
 16 excitet extinctas pagina prima faces.
 17 Hac olim Veneris duce, et auspice foedus inibam,
 18 linquens devotis posteriora viris.
 19 Liber, Io, es ! Laxam neque mordet fibula vestem ;
 20 adstringit mores regula nulla tuos.
 21 Denique qui Curios simulant, Erycina fatigat.
 22 Si Venerem nescis, disce vel inde Deam.

EXCUSATIO CARMINIS EPITHALAMII IN NUPTIAS CHRISTIANI CASSII
 CUM MARGARETA ELISABETA BUSSIA.

INSCRIPTA ALBO BENEDICTI Barii. A.D. KAL. QUINTIL. 1638.

E2_12 v.1 Bari inter Cassique pios versamur amores,
 2 utraque Thesea pectora nota fide.
 3 Barius obsequio, quantum pote, servit amico,
 4 et credit nugas pondus habere meas.
 5 Cassius, heu, quondam meus, ut nunc transtulit ignes :

6 quaerit, et in domina, quod veneretur, habet.
 7 Bussia sola placet, placet ingeniosa puella,
 8 deque viro palmam fert muliebri secus.
 9 Transtulit, heu, (nec cura sui nunc Principis) ignis,
 10 frigere hinc Musas disce, poeta, tuas.
 11 Plectra moves frustra, Scriveri : carmina frustra
 12 sollicitas, sanctus queis celebretur Hymen.
 13 Nil poteris, si non veteres instauret amores
 14 Cassius, atque aliqua se tibi parte probet.
 15 Distribuat tantas, et amet cum conjuge, flammis.
 16 Conjungat flammis flammea Caja meis.
 17 Claustra Caballini fontis reserata patebunt
 18 protinus, in versus aptus et acer ero.
 19 Si nostri renuat dici desultor amoris,
 20 subdideritque novas Cassia Musa faces.
 21 Incendar, languorque omnis de corpore cedet ;
 22 nec tibi pro terso carmine frigus erit.
 23 Immemor haec sponsus te, Bari, interprete discat :
 24 frigoris et causam non aliunde petat.
 25 At tu, si pretium est operae, si noster Apollo
 26 displicet, ursino lambere more potes.

PETRUS HOGERBEETSIUS MEDICUS, AFFINI SUO PETRO SCRIVERIO.
 (litterae amici)

E2_13 v.1 Petre, precer, laeta tibi ne te fratris in aula
 2 auferat, et Musis insidiosus amor.
 3 Ne tibi blanditae voces, cave, pectora turbent,
 4 basiaque ad citharae ter repetita modos :
 5 basia quae dominae roseo dum carpit ab ore,
 6 quam sua paene sibi gaudia spondet amans !
 7 Et te, quae juvenum lambunt praecordia flammae,
 8 muta corripiant transitione, precor.
 9 Dumque fugis subeant imas sub pectore venas,
 10 saxeus hoc qui non leniter igne calet !
 11 Crede mihi, tenerum non aversantur Amorem,
 12 numina Castaliae quae veneraris aquae,
 13 et Puerum medio dignatae Helicone Sorores,
 14 mentibus ille sacris fomes et ingeniis.
 15 Gaudet et exciri doctis Venus alma Camenis,
 16 et sua cantari proelia parvus Amor.

AD P. HOGERBEETSIIUM ELEGIA AMOEBAEA.

E2_14 v.1 Non ea mollities animi est, ut fratris in aula
 2 me ferat, hei ! Musis et mihi scaevus Amor.
 3 Atque ita sim felix, jurisque peritus Apollo
 4 imponat capiti laurea sarta meo ;
 5 non oculi eripiunt mihi me ; non basia tangunt,
 6 basia, quae dominae frater ab ore rapit.
 7 Basia nulla juvant udis adsucta labellis,
 8 deliciis moveor vix, Charitilla, tuis.
 9 Non mihi dejicient constantis lumina fastus,
 10 illecebrae, capiet me nisi serus Amor.
 11 Quid dixi ? Abripiant dicta haec temeraria Cauri,

12 jam mihi nescio quis transit ad ossa calor,
 13 et mihi cor tetigit certo deus aliger ictu ;
 14 quid mirum ? Ille homines perforat, ille deos.
 15 Ferreus, heu ! Leni qui non jecur uritur igni !
 16 Uror ego. Ipsa Venus ventilat, ecce, facem.
 17 Nec fugio ; magnus vixdum sine Amore poeta
 18 nascitur ; in versu est ingeniosus Amor.
 19 Delia facundo libros facit una Tibullo ;
 20 Cynthia Romano pagina Callimacho est.
 21 Cypria da myrthum ; laurum sibi servet Apollo ;
 22 fallor ? An ingenium mi Charitilla dabit.

AD THEODORUM GRASWINKELIUM, EQUITEM ;
CUM DOMINICI BAUDII AMORES EI INSCRIBERET.

E2_15 v.1 Ille Pater Venerum, Venus ipsa, volansque Cupido,
 2 quem jocus, et blandi composuere sales ;
 3 Baudius (ah !) laesi reus insimulatur Amoris :
 4 squallidus, et longis hoc probat ipse comis.
 5 Hoc et veste probat, nec, ut olim, candida laena ;
 6 ostendit maestum fuscior illa reum.
 7 Ut nunc sunt homines, moresque et tempora ; quaerit
 8 patronum causae te, Theodore, suae :
 9 justitiae veterem ac pulsae probitatis asylum :
 10 qualem dent rebus Di superesse meis,
 11 si sit opus ; clamosa fori sed jurgia vito,
 12 consiliumque placet, dive Rudolphe, tuum.
 13 Tres mihi si lites fuerint, dabo, ut una superfit ;
 14 et malim plumas, quam dare terga foro.
 15 Consuluisse cuti satius. Me iudice certe,
 16 tertia lis etiam nulla superstes erit.
 17 Ut fracto potius, quam terno Cerberus ore
 18 evomat in nostros fulmina bruta lares.
 19 Lis litem genitura, catenatosque labores ;
 20 hydraque ad haeredes ter metuenda venit.
 21 Tu, Graswinkeli, prohibe ; virtute tueri
 22 perge bonos : sed sit poena parata malis.
 23 Te nunc privatis faculam mihi postulo rebus :
 24 nocte vel in media tu mihi Phoebus eris.
 25 Quae passim obtenebrant, cernis, Theodore, tenebras ;
 26 exorere, ut, si non. Publica cura vetet,
 27 (nam te (nec frustra caelum blanditur) ad alta
 28 hinc spectata fides, ingeniumque vocant.)
 29 Sique pios Manes aliquod modo frigus adussit,
 30 ingenii radiis calface, Phoebe, tui.
 31 Hoc age, Baudiaci populo laudentur Amores,
 32 et tonsum solita veste remitte reum.

AD RHADAMANTHUM. FICTUM

E2_16 v.1 Lenierat torvum culto sermone Chatontem,
 2 Baudius, infernis dum veheretur aquis,
 3 annueratque illi, per se non stare professus ;
 4 et dimissurus, si licuisset, erat.
 5 "Quid faceret ? Sistens Rhadamantho portitor, inquit,

6 audi hominem, et flecti te patiare, rogo."
 7 Flexanimae iudex captus dulcedine vocis,
 8 praecipit illicitas hunc remeare vias.
 9 Sed duo mandantur misero praestanda marito.
 10 "O medicina gravis ! Unda bibenda viro est" ;
 11 et conjux repetenda prior. "Sitiatque, bibatque
 12 quantumcumque volet ; non prohibentur aquae,
 13 sed vetitus liquor ille dei, qui subdidit Indos" ;
 14 figit et incertos unde Poeta pedes.
 15 Altera crux : tota Galla Tanaquile fruatur.
 16 Sed tamen a cara conjuge languor eat ;
 17 multivola ne mente novos suspiret amores.
 18 Hac iterum in lucem lege redire potest.
 19 Jamque in vitales rediisset Baudius oras ;
 20 praeferreret fumos ni, Rhadamanthe, tuos.

IN PECTINEM PLUMBEUM, QUO UTEBATUR SENEX BAUDIUS.

E2_17 v.1 Baudius, hei ! canos non pectine pectit eburno ;
 2 non buxo, multo qui tibi dente datur.
 3 Plumbeus accessit (proh improba tempora !) pecten,
 4 ut sua crinali liberet ora nive.
 5 Ut trahat in nassam, viduoque fruatur amore ;
 6 non ut sollicitas arca flagellet opes.
 7 Pignora sed redimat, sumptosque in fenore nummos :
 8 nam nihil hic pietas ingeniumve facit.
 9 Argentum plumbo, plumbo venatur et aurum.
 10 Res nova ; nec numeris cognita, Naso, tuis.
 11 Haec expugnandis addatur machina Nymphis.
 12 Ars arti fuerit non onerosa tuae.
 13 Quid renuis ? Numquid caeci finguntur Amores ?
 14 Non audax Veneris caecus et ipse puer ?
 15 Hinc mihi caecorum sunt omnia plena procorum :
 16 et venit ad partes caeca puella suas.
 17 Quae non haec videat pictae tectoria barbae,
 18 atque emat ; hanc caecam nonne, poeta, putas ?
 19 Et talem sibi poscit Amor, Cythereia talem
 20 non amat haec, uti quae ratione potest.

ALIUD AD MARCUM ZUERLUM BOXHORNLUUM, DE PECTINE BAUDIANO.

E2_18 v.1 Quod plumbo crines incanaque menta peraret
 2 Baudius, hoc mirum, Marce, jocumque putas.
 3 Factum fallendae jam pridem rebar amicae :
 4 nunc alia, ut mecum cogito, causa subest.
 5 Miserat e plumbo (nisi fallimur) Anglia nummos,
 6 quam vult debendi Baudius esse ream.
 7 Plumbeus hinc pecten. Nam si fortuna metallo
 8 vatis inaurasset nobiliore manum,
 9 et Maecenatis, ut oportuit, illa dedisset :
 10 non ebur excludi sic pateretur Hymen.
 11 Nunc pauper toties totiesque repulsus amator,
 12 deplorat vidui taedia longa tori.
 13 Et metuit sumpto properantes aere Calendas.
 14 Has qui pellat aves, nunc ubi Tuscus eques ?

15 Carmina si spectes, vel solae ante omnia Gnomae
 16 per se munificas promeruerunt manus.
 17 Ah ! Cur tantus amor Phoebi sine dote remissus ?
 18 Cur collo, et vacuo folle Poeta redit ?
 19 Protulit innumeras haec una repulsa repulsas,
 20 et se Reginam quaeque puella putat.
 21 Spes alit agricolas, sed non alit illa poetas :
 22 non responsuras quis colat inde deas ?

EPITAPHIUM DOMINICI BAUDII.

E2_19 v.1 Baudius hic situs est. Cessas quid flere, ciator ?
 2 An fles, conjugium flevit ut ille suum ?
 3 Protinus Indidomum fertur gustasse Lyaeum ;
 4 non alio siccas rore notasse genas.
 5 Hoc constantis erat. Non degener incola mundi
 6 passus inaequales est in amore thoros,
 7 degeneresque faces, quas ventilat improba Juno,
 8 et male concussas fascinus ultor alit.
 9 En, cum jure trium natorum ducitur uxor,
 10 et simul in barathrum praecipitatur amans.
 11 Sic labuntur opes ; sic nil stipendia prosunt :
 12 pensio sic domino saepe negata suo.
 13 Pallia sic alius, Caiaequae monilia servat :
 14 ara fugant inopem sic aliena famem.
 15 Prosilit et duris urgens in rebus egestas :
 16 pignora stant, vacua non redimenda manu.
 17 Curatoris eget regalia munia prensans,
 18 nesciat, hei, rebus qui superesse suis.
 19 Et viduus nunc hac domina, nunc luditur illa ;
 20 estque quod in Maia (di prohibete !) placet :
 21 parvulus Aeneas, et mox vesanus Orestes.
 22 Haec in femineo condita poena sinu.
 23 Quisquis es, exemplo tanti moveare mariti :
 24 parce libidinibus, luxuriose, tuis.
 25 Addita sit potius lascivo fibula peni,
 26 ut vindicta tuam transeat ista domum.

AD CL. V. JOANNEM MEURSIUM, NATO EI FILIO,
 CUI ARGENTEA PATERA DONATA AO. 1617.

E2_20 v.1 Scriverii cultum, Meursi, non Mentora spectes,
 2 argentumque fide vilis omne putes.
 3 Hac patera libanda salus, iterandaque saepe.
 4 Det numerum cyathis littera, Janus erit,
 5 quo simul incalui, tum nec gentile recusem
 6 nomen, et octuncem te cupiente bibam.
 7 At tu (nec renues) ut vivat muneris auctor,
 8 quincuncem duplica de meliore cado.

ALIUD.

E2_21 v.1 Det numerum cyathis lactentis littera Jani.
 2 Vivat ut ipse diu, pocula quinque bibam.

3 Utque pater vivat, vivatque ut nominis auspex,
 4 bis mihi quincunces tu, Calocisse, dabis.
 5 Sed dabis et patri, cui si fors muneris auctor
 6 sit tanti, decies adde Falerna, puer.

DIONYSIACUM JOCOSUM.

E2_22 v.1 Praeferri sacrae sponsalia flammea mitrae,
 2 proque pedo in thalamum quattuor ire pedes,
 3 horruit attonitus vicino limite Rhenus,
 4 nec tulit incesti pignus (ut ante) tori.
 5 Truxesiumque Ubia discedere jussit ab ara ;
 6 non ea polluta sacra movenda manu.
 7 Acer Eburonum Princeps submittitur urbe,
 8 et cingit juvenes infula bina comas.
 9 Hinc ferus (obtenta quis non trux esset amica ?)
 10 ingruit, et Bojam non bene ferre potest.
 11 Namque maritales sponsus quos voverat ignes,
 12 libera tot Bojas oppida ferre videt.
 13 Adfuit audito Farnesia Parma tumultu ?
 14 Et partem imperii sic quoque sperat Iber.
 15 Aemulaque exortis gavisata Batavia turbis,
 16 oppida sub titulos praecipit ire suos.
 17 Mons Rheni nostro servatus milite, noster
 18 dictus, Truxesio non prohibente, fuit.
 19 Miles, an infudit nobis Pincerna deorum
 20 pocula ? Mars talis pro Ganymede mihi.
 21 Haud consensit Iber, semel atque iterum ; ultima tandem
 22 subdidit Hispano libera colla jugo.
 23 Donec Arausini Rhenus sibi Principis arma
 24 flagitat, et Mosa non minor esse cupit.
 25 Iste triumphatus spargit nunc libera Tungris
 26 flumina, et Oceanas intrat et exit aquas.
 27 Cur desint Ubiis commercia libera Rheni ?
 28 Quae ratio, cur sit tam mihicara sitis ?
 29 Cur, heu ! Rhenanis haec addita fibula vinis ?
 30 Cur ferrum Tungris sit meliore loco ?
 31 Nempe, Batavus ut hoc felicius arceat hostem ?
 32 Dummodo sic, patior ; sed modo fractus Iber.
 33 Vividius, puer, euge, metum mihi prome, bibamque
 34 tot cyathos, quot habent Carmina nostra pedes.
 35 Immo triumphator quot habet sub nomine Princeps
 36 litterulas, toties funde Falerna, puer.
 37 Litterulae, quas me stulti docuere parentes,
 38 nullum laetitiae tempore pondus habent.
 39 Quid mihi si faveant carbonum mille favissae,
 40 et pateant caesis tota metalla jugis ?
 41 Cum mihi Rhenani desit facundia Bacchi,
 42 non Venus in versu, non erit ulla Charis.
 43 Quid me constricta spectatis fronte, Catones ?
 44 Cur trepidat torvo lumine tristis Iber ?
 45 Quisquis abis, redeas ; favensque Hispano bibenti
 46 sobria quae nequii gens vigilaxque capi ;
 47 forsitan in casset somno vinoque sepulta
 48 incidet, et damno gens bibet ista suo.
 49 Hac spe solatus modo si decedat Iberus ;
 50 nectaris expositi sit tibi parca sitis.

51 Ne vectigalem praestet tibi currere Rhenum,
52 esto modus matulae (suadeo) Belga, tuae.

AD CL.V. THEODORUM SCHREVELIUM, MEDICINAE PROFESSOREM.

E2_23 v.1 Cum tibi nil neget, et facilis pincerna ministret
2 tot Ganymedeae pocula mixta manu,
3 tu, Theodore, meo convivas prolue Baccho.
4 Da, puer, huc largum vividiusque merum.
5 Et quandoque tuus languebit forsitan hospes,
6 nec satis officii sit memor ille sui ;
7 tu supplere vicem, civis generose, memento,
8 et si blanda juvant nomina Regis, habe.
9 Rex eris, haud casu talorum, et sorte secunda,
10 sed quia te Regem publica vota creant.
11 Convivarum, inquam, vota intemerata meorum.
12 Vossius hoc noster, Meursiadesque volunt.
13 Hocque pater Venerum, qui nomen debet Iaccho,
14 Barlaeusque tuus, Sciveriusque rogant.
15 Nunc confusa volent, Schreveli, nomina nostra.
16 Proderit hic error ; tu modo saepe bibe.
17 Tu modo saepe bibe ; fratrem neu desere frater,
18 Pollucemque sacro foedere Castor ama.
19 Vina poetarum veteres dixere caballum.
20 Hunc submitte jugo ; sic eris Hippodamus.
21 En me Pyxagathon, qui pugnet amystide crebra.
22 Sed tamen Hippodami gloria major erit.
23 Funde, puer, decies, ut carceris ille colonus
24 ad patrios remeet tandem aliquando lares.
25 Qualis ab Arctoo quondam Hoogerbeetsius axe ;
26 hei ! Ubi nunc tanto pocula digna viro ?
27 Grotiadaeque salus memori septunce bibatur ;
28 aut tua, sed priscis aucte Batave bonis.
29 Si libertatem fortasse octunce lacesses,
30 et venit ; voti summa erit illa mei.
31 Sed si libertas octunce rogata negabit,
32 da senos calices, et mihi, Somne, veni.

AD GEORGIUM PLASSIUM SUUM MED. HARL. MANE IN GRABATULO.

E2_24 v.1 Cras se venturum, semper mihi Plassius inquit.
2 Musae ! cras istud, dicite, quando venit ?
3 Quam longe cras istud ? Ubi est, aut unde petendum ?
4 Quanti cras istud, dicite, possit emi ?
5 Doctor adest aegris : et adest cras forsitan aegris,
6 et semper dubias lux trahit ista moras.
7 Doctor abest ; peregre curru cymbaque vocatus ;
8 inde etiam cras est res peregrina mihi.
9 Nunc Heemstedus ager, nunc Velsica rura petenda :
10 hicne, an apud Parthos, Armeniosque latet ?
11 Non mihi vicinum cras certe ; et longius errat,
12 aut illuc ; nequeas unde referre pedem.
13 Jamque senex cras est Priami, quod transeat annos,
14 dictaque jam toties hora vocatur anus.
15 Cras te venturum dicis, venisse decebat ;

16 et vixisse simul : quod sapientis erat.
 17 Ipse vides, vitae quam sit spes nulla caducae ;
 18 quamque abeat celeri labilis hora pede.
 19 Vive igitur ; pete vina ; rosas cape ; tingere nardo :
 20 gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
 21 Mors aurem vellens seseque instare minata ;
 22 ipsa jubet vitae te meminisse tuae.
 23 Vive hodie : nam si sententia vatis Iberi
 24 pondus habet, vita est crastina sera nimis.
 25 Imo hodie serum est jam vivere, iudice Marco ;
 26 ille sapit, quisquis gaudia sumpsit heri.

ALIUD. AD EUMDEM GEORGIUM PLASSIUM.

E2_25 v.1 Ne steriles mittam, Plassi suavissime, chartas ;
 2 accipe Pomoni carmina salsa tui.
 3 Poma suburbani vernacula mittimus horti,
 4 et magnam post tot poma comesa sitim.
 5 Ut spectes igitur dono sitientia poma ;
 6 non ut edas, Plassi : sat tibi larga sitis.
 7 At quid poma tibi ? Misissem pocula Bacchi,
 8 essent doctori munera grata meo.

ALIUD AD EUMDEM PLASSIUM.

E2_26 v.1 Sassemo pisces, Lissa quid mitto lacustres ?
 2 Atque hinc perca tibi, lucius inde venit ?
 3 Unde magis mutus mihi muto pisce videris ;
 4 oraque, mi Plassi, sigalionis habes.
 5 Nulla salus, nullum alloquium ; non mutua muti :
 6 non illud clarum, sed perinane "sophos" ;
 7 Non euge, et belle, blanditaque murmura, Musis
 8 debita : non ullo sunt in honore deae.
 9 Inde pater dixit, fastum indignatus, Apollo :
 10 "Munera vis civi mittere digna tuo ?
 11 A mare, non lacubus piscem donaveris apte :
 12 non omnem ; toto de grego lingua placet."

PRO SALUTE JOANNIS ALBERTI BANII; MUSICI EXCELLENTISSIMI.

E2_27 v.1 En, natalis adest meus hic, meus ; ite, Camenae ;
 2 ite, sacrum Genio non prohibente latus.
 3 Majorum sedes, proavitaque regna petamus
 4 Harlemum : plana nunc decet ire via.
 5 Non dubiis infida palus me transvehat undis,
 6 arida quadrijugis terra resultet equis.
 7 Non mihi, si primos ad Phoebi sibilet ortus
 8 ales, in horrissono structa pericla mari.
 9 Fringillae augurium metuat deprensus in alto ;
 10 impediatur nostrum parra, nec anguis iter.
 11 Tantum sperata nemo flagravit amica,
 12 quantum ego venturi Veris amore trahor.
 13 Non equidem gelidae damnem quod tempora brumae,
 14 pertaesus tetrici frigora lenta foci.

15 Non quod Fusor aquae nimio me proluat imbre,
 16 Deucalioneas paene minatus aquas.
 17 Ad subitos non quod mihi desit paenula nimbos,
 18 aut metuam Pisces, sidera juncta, duos.
 19 Non Athamanteo quia vellus fulgurat auro,
 20 Aeolium pluris fit mihi Phryxe pecus.
 21 Denique non Tauri, aut Geminorum mitius astrum.
 22 Non ideo, Divi, tempora verna peto.
 23 Scilicet ut spectem redeuntia gramina campis,
 24 deliciasque hortis arboribusque comas.
 25 Vix tanti vario gemmantia prata colore,
 26 ipsaque vix tanti flore recincta Venus.
 27 Scilicet ut vernis ornem monumenta Neronis
 28 floribus, aut spurcas post monumenta lupas.
 29 Non ut avos cernam nidis excludere pullos,
 30 qui modo vix ruptis pellibus astra petant.
 31 Non ut passeribus Venerem thalamosque frequentes
 32 invidiam, aut furias, Taure petulce, tuas.
 33 Non lusus ignesque alios terraque, marique
 34 delectent animum ludicra nulla meum.
 35 Quin nec araturi stiva moderante jugales,
 36 rustica nec nitido fulta ligone manus.
 37 Non matutinos mihi rumpere aedona somnos
 38 optarim, dulces aut meminisse modos.
 39 Culmine nequicquam nostro residebit hirundo,
 40 plorabitque suum Daulius ales Itym.
 41 Longe alias dotes Superi mihi vere ministrent,
 42 Banniadae tandem vere paranda salus.
 43 Quem jam conspicimus quinto languescere mense,
 44 feбри (heu !) grassandi non statuente modum.
 45 Hospitiumque animae saevo populante calore ;
 46 estque quod hic etiam querquera pestis agat.
 47 Haec, Plassi, censura tua est : etiamne Tonantis
 48 aegro insperatam ferre potentis opem ?
 49 O Deus ! Aeterna detentos valle dolorum
 50 respice ; sique hominum vota precesque valent,
 51 eripe Banniadem tantis, Deus alme, periclis.
 52 Fac redeat malis, qui fuit ante, color,
 53 mascula vox redeat, laterum quoque nobile robur ;
 54 ad patrias Orpheus exeat ille feras.
 55 Inter Hamadryadesque et Oreades Harlemeasque
 56 Pan calamis, assa Pan quoque voce canat.
 57 Inter agatque suos laetus conviva penates,
 58 inter Scriverium Plassiademque suum.
 59 Suavibus affixus studiis, lepidisque Camenis,
 60 sic tamen, ut maneat maxima cura Deus.
 61 Mens vigilet, summi sacris operata Tonantis,
 62 indocilis Domini dememinisse sui.
 63 Hoc duce ridebis fastus et inania mundi,
 64 hoc duce caelestes excutiente seras,
 65 janua anhelanti toto tibi poste patebit.
 66 Ad caeli faciunt carmina nulla fores.
 67 Omnia sunt ingrata Dei fraudata timore ;
 68 omnia blanditi gaudia vana joci.
 69 Ergo sapit, sapiatque diu, vivatque beate
 70 Bannius, et sancto te, Deus, ore canat.
 71 Atque avertendae totus tibi militet irae,
 72 auctorem quamvis non metanoea coquat.

73 Nulla recordanti lux est onerosa, gravisque :
 74 nulla subit, cujus non meminisse velit.
 75 Praeteritosque dies, et tutos respicit annos,
 76 nunc quoque, cum Stygias Parca minetur aquas,
 77 quam placide numeret nondum sex lustra videtis ;
 78 quam sceleris nullo palleat ora metu.
 79 Quam spissus laudum cumulus ! Quam gloria felix !
 80 Ornet Apollineas laurea quanta comas.
 81 Absit, ut expendens Juveni mors invida palmas,
 82 dissimulansque annos, hunc putet esse senem.
 83 Ne petat Elysiam, nisi fessa aetate, puellam,
 84 nescius Orpheae tangere fila lyrae.
 85 Haec nemora invalidus petat : at florentibus annis,
 86 ad Sparnae recubet lene fluentis aquas.
 87 Et laurum in nostro celebret ; stent Manibus arae,
 88 sacraque turicremo laurus in igne crepet.
 89 Hoc nostrae plagium discant interprete silvae,
 90 atque Magontiacas laude carere manus.
 91 Autolyco affines clament et vivere raptō.
 92 Infausto pereant nomina nata die !
 93 At noster fido comitatus Apolline vindex,
 94 excubet, et fures arceat usque novos ;
 95 defendatque nemus ; sed se quoque servet in illo ;
 96 multaue nequidquam spicula mixta cadant.
 97 Excubet, indigena ne mox Custode remoto,
 98 laurigerum perimat vis peregrina caput.

AD ALBERTUM BANNIUM AEGROTANTEM.

E2_28 v.1 Si nota doctoris vera est censoria Plassi,
 2 credere cui fas est, et dubitare nefas ;
 3 praesidium medicis nullum ponemus in herbis,
 4 nil pro te, Banni, pharmacopaeus habet.
 5 Exspecta, si quid pars optima proferat anni ;
 6 vereque num nasci vera medela queat.
 7 Te videam, Banni, jam nato vere, renatum,
 8 dissimilemque umbrae. Bannius umbra mihi est.
 9 Corpus abest, pellisque suis vix ossibus haeret ;
 10 officiumque negant pesque manusque suum.
 11 Pallidior buxo, violaque simillimus errat ;
 12 sic ut Banniadem quisque fuisse putet.
 13 Quod si vere novam dederint tibi pharmaca vitam,
 14 accedet titulis nomen, amice, tuis.
 15 Vernius hinc nobis, potes aut Vernasius esse ;
 16 ni tamen Eiarini nomen habere malis.
 17 Nomen cum viola natum, quod spiret Hymettus,
 18 nomen Cecropiae quod populentur apes.
 19 Felix, quae tali censetur nomine tellus,
 20 quod decet in sola Caesaris esse domo.

AD GENERIS NOBILITATE ET VITAE SANCTIMONIA CLARISSIMUM VIRUM,
ADRIANUM VAN DER BURCHIUM.

E2_29 v.1 Hoc age, mi Burchi, tibi si clementior annus,
 2 otia si qua tibi tempore veris erunt ;
 3 et tetricis aliquando potes valedicere curis,
 4 implicitum queis te Curia semper habet ;

5 unda salutantum si nec te turba clientum
6 detinet, et vacuo si licet esse tibi ;
7 pande fores, animumque mihi : nunc omnia tellus
8 pandit, et omnigenas feta recludit opes.
9 Porge manum, vir magne, precor ; surgamus in arcem,
10 qua bona mens superis est Dea juncta Choris.
11 Qua Candor sua regna colit, qua Copia felix
12 fundit inexhaustas integritatis opes.
13 Qua Divum Harmonia procul a discordibus armis
14 aurea tranquillae gaudia Pacis agit.
15 Haec loca mens animi jam cogitat ; evolat illuc
16 spiritus, ingenio velificante tuo.
17 O munde inmundum ! O lacrumarum magna taberna !
18 O domus omnimodis undique plena malis !
19 Quam te subducto, quam tristi conspicio ore !
20 Quam nihil est in te, quod mihi, Munde, placet !
21 Et merito ; nam quid solidum tua gloria tinnit ?
22 Utile quid Fastus possidet iste tuus ?
23 Exsulat Astraevi dium genus ; exsulat Aequum,
24 velaque dant technis Frausque Dolusque tuis.
25 Adde, quod hinc Curae dominantur, et inde Labores,
26 Maeror et Aerumnae, Ditis et ipse Pater.
27 Talibus, o ! Quis par monstris tantisque ferendis ?
28 Non ego ; nec caeli destina gibber Atlas.
29 Illecebras offers, fascesque et nomina magna,
30 o bone, nequidquam ! "Res tibi tolle tuas."
31 Crede, licet, Burchi, non me capit illice vultu.
32 Ad genium Mundus nil habet iste meum.
33 Qui mihi tot clades, tot pestes, totque ruinae,
34 haec mera qui placeat mors, Hadriane, mihi ?
35 Salve, Munde pater, Sophiae conscendere templum
36 me juvat ; o luctus illa palaestra, vale.
37 Ille ego pertaesus vitae genialis amorem
38 transeo ad aeterni gaudia vera Boni.
39 Vere isto aetatis, isto sub flore juventae,
40 cum mihi nec sparsae per caput omne nives ;
41 non annis fractum, non luxu debile corpus ;
42 tam juvenis vitaessum satur ipse meae.
43 Mortalis dico. Jam vere vivere tandem
44 mens avet, et Sophiae me dare : porge manum.
45 Porge manum, vir magne, mihi ; sequar ocium : euge,
46 semita difficilis non erit ulla mihi.
47 Te Duce quid majus potero juvenilibus annis,
48 Te Duce me sacris insinuare choris.
49 Te Duce latrantem potero transire Charybdim,
50 te Duce saxosas exsuperare vias.
51 Postque tot insumptos exantlatosque labores
52 liberius Diva cum sapiente loqui.
53 Res similes tractare suis et nomina rebus,
54 tot defaecatae Relligionis opes.
55 Tot legere Ambrosio condita exempla lepore ;
56 quid sit Amor, quid Spes, discere, quidque Fides.
57 Osculaque ex animo speratae pangere sponsae,
58 atque oculis oculos exsatiare meos.
59 Funera nunc quandoque manu prensare tenaci,
60 fusaque cygnea tristitia voce tibi.
61 Carmina plena Deo. Quid quod solacia, Burchi,
62 Scriverio posses suppeditare tuo.

63 Fallor, an ex voto jam me super aethera raptas,
 64 participemque tui Flaminis ipse facis ?
 65 Fallor, an ista brevi sacros solacia lusus
 66 rebus in adversis quae valuere, legam ?
 67 Injectusque humeros ostro, frontemque corollis,
 68 Victor "io" magna voce "triumphe ! " canam.
 69 Sic puto. Spem certe tua fecit epistola nobis.
 70 Credo etiam scriptis fervere praela tuis.
 71 O bene ! jam dominum coepi contemnere mundum ;
 72 qui quoque mox isto sub pede nullus erit.
 73 Jam forti licet esse mihi. Quin, vane, minaris ?
 74 Quid pedicas, demens, quid mihi vincla paras ?
 75 Ah ! quos me victo moliris, Munde, triumphos
 76 fingis, et evinctum post tua terga vehi ?
 77 Hic ubi terribiles visu luctusque labosque,
 78 Hic ubi Mars diro lumine Morsque sedet.
 79 I procul, o, procul i ; tua non ego victima, quod si
 80 in me jam caeli machina tota ruat.
 81 Burgius aes triplex circum praecordia fudit,
 82 atque animos animis addidit ille meis.
 83 Clade fatiscenti mihi Burgus aheneus iste,
 84 iste laboranti fida columna venit.
 85 Iste potest ipsi Fortunae indicare bellum,
 86 et casus contra conseruisse manum.
 87 Et nunc ille, viden' ? Vellit mihi Burgius aurem,
 88 alloquiisque animum roborat ipse meum :
 89 "nil desperandum Christo duce, et auspice Christo",
 90 ac uni fisos esse decere Deo.

AD PAULUM GISBICIUM BOHEMUM,
 UT SIBI POETICORUM PERICULORUM COPIAM FACIAT.

E2_30 v.1 Paule, decus nostrum, Batavi nova fama Lycei,
 2 qui modo pinnato pergis in astra gradu.
 3 Scin" bone, quid vellem ? Lepidissima carmina vellem,
 4 scilicet ingenii prima pericla tui.
 5 Da, rogo, quae vidi dignissima carmina cedro,
 6 quemque obiter legi, da mihi, Paule, librum.
 7 Tres mihi da Charitas, da mille et mille lepores,
 8 quosque habet innumeros pagina salsa jocos.
 9 Quae, precor, invidia est, haec nobis velle negare,
 10 publica quae pridem missa per ora virum ?
 11 Cur ? bone, cur ? nisi forte tuis dictata Bohemis
 12 dicis, et a Batavo non pene posse capi.
 13 Namque homines crassi, nati infelicibus ovis,
 14 et steriles rerum, siccaque turba sumus.
 15 Narro tibi verum : nemo hic, quem laurus inumbrat,
 16 nemo, cui lucet sardonychata manus.
 17 Scilicet, e nostris multi, Gibisce, fuerunt,
 18 qui poterant versu nomen habere suo.
 19 Ut pius, et facilis, quem protulit Haga, Secundus,
 20 qui nulli, Beza teste, secundus erat.
 21 Adde illi, dulces cui sunt ante omnia Musae,
 22 Dousam, inquam, et Groti carmina sacra mei.
 23 Nostrumque Heinsiadem, qui pleno pectore Romam
 24 parturit, et quidquid Cecropis ora tenet.
 25 Di tantum servate caput, quia gloria vestra est.

26 Hunc si vita manet, vos quoque vita manet.
 27 Vix licet his addas, quos vestra habet ora poetas,
 28 carminibus laurum qui meruere suis.
 29 Sed quid ago ? Non vos Batavis conferre volebam ;
 30 sed petere ingenii prima pericla tui.
 31 Seu stupor huic studio, sive est insania nomen,
 32 omnis ab hac cura cura levata mea est.

IN GRATIAM CORNELII VINCKII, AD PHOEBUM.

E2_31 v.1 Dic mihi de nostris quid censes, Phoebus, poetis ?
 2 Sic mala cum stomacho carmina pauca legas.
 3 Sed dic vera mihi. Nolim te vendere fumos,
 4 dicere vel quae me credere velle putas.
 5 Non ego laetitia perfundi pectus inani,
 6 Phoebus, velim, toto non Helicone frui.
 7 Quare age, si qua tenes, ab origine dicere prima
 8 incipe, suspensis auribus ista bibam.
 9 Tu, puto, Suffenum vidisti flare poema,
 10 inque uno stantem carmen arare pede.
 11 Tu Scorpum spreto vidisti, Phoebus, decoro,
 12 ornabat chartas nullave gemma suas.
 13 Vidisti antiquis Priscam squalere lacernis,
 14 cumque Aboriginibus desita verba loqui.
 15 Audisti Paetum formam laudare puellae,
 16 carmineque augustas depretiare comas.
 17 Felleaque in Proculum torquere poemata Cottam,
 18 vidisti Bassum, Pantolabumque meum.
 19 Qui te teste suos recitarunt ordine versus,
 20 et vulgo lauri spe voluere legi.
 21 Phoebus, potes nostros spe defraudare poetas ?
 22 Ah ! illis laurum, Phoebus, negare potes ?
 23 Adspice non nupta miseros tabescere fronte ;
 24 si placet, injicias laurea sarta, Pater.
 25 Improbe cur paucos tantum tua vestiatur arbor ?
 26 Cur non communi serviat illa bono ?
 27 Adspice pallentes, palmasque sub astra ferentes ;
 28 adspice poscentes, et miserere, Pater.
 29 Ah ! miserere, Pater. Multa prece posceris, ecce !
 30 Ter tibi sacra cohors lacte meroque facit.
 31 Si me non fallunt praesagia, Delphice, testor,
 32 cras novus in laudem, sed liber amplius, erit.
 33 Devotosque tuo merito tibi semper habebis,
 34 versifices, dici qui tua turba volunt.
 35 Crede mihi, magna subito ditabere secta,
 36 tu modo laurigeros effice, Phoebus Pater.
 37 Adspicis ut patriae veteres instauret honores
 38 Vinchius ! ad laurum currit et ille tuam.
 39 Grande operae pretium, caelo tam grande poema
 40 inferri, et lauro perpetuante legi.
 41 Fallimur, an laurum Phoebus, tua patria quercum
 42 praeparat ? Haec meritis illaque digna tuis :
 43 et dubitas ; Vinchi, tua cetera carmina luci
 44 tradere, teque Elegis nobilitare tuis ?
 45 Certe ego et Heinsiadem tota tibi mente favemus.
 46 Assurgit numeris nostra Camena tuis
 47 mi Vinchi, laurus tota est tua, totus Apollo,

48 fonsque Aganippaeus sub tua rura fluit.

AD CORNELIUM VAN DALIUM.

E2_32 v.1 Ergo Parens vixit, tam casta, pudicaque ? Vixit
 2 femina tam raris conspicienda bonis ?
 3 Irascor sane Fortunae ejusce diei,
 4 eripuit tantum qui tibi, Valla, decus.
 5 Ille sacer mihi semper erit ; sed ut illicis auri
 6 sacra fames, hoc est, ille nefastus erit.
 7 Et merito ; crines ut qui turparit honestos,
 8 perdideritque oculos, perdideritque genas.
 9 Ah ! mi Corneli, quantum mutatus ab illo es !
 10 Ah ! miser, es pellem praeter et ossa nihil.
 11 Totus pelluces instar specularis et agni
 12 Plautini, ut credi mortuus esse queas.
 13 Quando ego te aspiciam vultu, quo saepe solebas
 14 visere Scriverii regna pusilla tui ?
 15 Quando erit, ut flavos presem sine fine capillos,
 16 osque tuum toto suavier ore meo ?
 17 Spero equidem. Sed tu donec loca conscia luctus,
 18 telluremque, parens qua sita, maestus habes ;
 19 non erit, ut flavos presem sine fine capillos,
 20 osque tuum toto suavier ore meo.
 21 Si me audis igitur, et si te diligis ipsum,
 22 ad vetus hospitium priscaque regna redi.
 23 Baudius hic nostri tormentum dulce furoris ;
 24 hic meus Heinsiades, nec minus ille tuus.
 25 Hi vates aliqua poterunt tibi parte mederi ;
 26 hi poterunt doctis exhilarare jocis.
 27 Adde, quod hic Sylva est Academi nobilis, et quae
 28 toto poste tibi Bibliotheca patet.
 29 Hoc age ; scande ratem. Tibi ventus et unda favebit ;
 30 ipse dabit faciles Ennosigaeus aquas.
 31 Aut hic, aut nusquam invenies obliviam. Quid, tu
 32 ignoras Lethen hic superesse ? Vale.

PETRI SCRIVERII ELEGIARUM LIBER III. (3654 vers)

NATALIS ACADEMIAE ORDINUM HOLLANDIAE WESTFRISIAEQUE.

E3_1 v.1 Vix sonus armorum siluit, vix hostis ab urbe
 2 pulsus, et ad proprios unda remissa Lares ;

3 inque fugam procul a Rheno Valdezius actus,
 4 qui nihil hinc, praeter Magdalis ora tulit,
 5 Hollandosque jocos. Marti vale diximus omnes,
 6 et voluit pulchre pulcher Apollo coli.
 7 Barbara primum, Albae mox decessere Sorores,
 8 esset ut Aoniis laxior aula deis.
 9 Defuit haud patriae tunc Hogevenius urbi.
 10 Arripit Auriaca dona profecta manu.
 11 Boizotumque ciet, teque, invictissime Douza,
 12 quo sacer hic factus conciliante locus,
 13 Musarumque domus, cui pridem doctior orbis
 14 submisit fasces, ipsaque Roma, suos.
 15 Floruimus lituos inter, bellumque, tubasque.
 16 Quae cecinit nuper fistula, Pacis erat.
 17 Dulcis, at horridius quasdam (puto) verberat aures ;
 18 paene ut se nullis auribus esse velint.
 19 Barbara decessu non fecerat ante beatos,
 20 et tria ter nostris Numina cultra focus ;
 21 Barbariesque omnis pedibus calcata Lycaeii,
 22 et coeptum Ausonio cultius ore loqui.
 23 Nunc quia quaeque suam Provincia suscitatur Aedem,
 24 invidet et famae, maxima Leida, tuae ;
 25 auditor rarus ; doctor sibi postulat aures,
 26 sola Medusaeae cum tumet ira comae ;
 27 privataeque domi faciunt mapalia curae,
 28 cum subit obscuros Musica turba Lares ;
 29 Atque avidi properant ad lucra domestica corvi,
 30 ut gravis immodicas arca flagellet opes.
 31 Publica vitatur Musarum amplissima sedes,
 32 scamnaeque pulvereo paene sepulta situ,
 33 et sessore carent. Vetus illa frequentia cessat,
 34 migrasse ut Phoebum, cunctaque sacra putes.
 35 Frigora quis nescit solemnia tempore brumae ?
 36 Hic (quod mireris) ver quoque frigus alit.
 37 Longa per Augustum non sunt satis otia mensem ;
 38 transit concessos diva Vacuna dies.
 39 Dicebam (memini) nuper, frigere Camenas,
 40 oraque prae nimio tot taciturna gelu.
 41 Pallada dicebam tum Curatoris egere.
 42 Tentari an dominos frigore, Leida, querar ?
 43 Nescis, heu ! Nescis, quantae haec socordia noxae ;
 44 sperandae hinc famae quanta lacuna tuae.
 45 Hospitibus cernis viduata cubicula Musis,
 46 et loca praeteriens mille locanda legis.
 47 Non tollenda tamen sunt qui Collegia censent,
 48 haecque aliquod Leidae conciliare decus.
 49 Atque ita, si tolli aut minui censura jubebit,
 50 actum de Musis esse, Batave, tuis.
 51 Observet doctor vacuas umbraticus horas,
 52 publica ne possit laesa Minerva queri.
 53 Si nihil est horum, quod quemquam offendere possit,
 54 sistere nec cultum, pulcher Apollo, tuum.
 55 Quam medio, ut leges fati experiamur iniquas,
 56 et nova barbariem Barbara diva feret !
 57 Succedantque Albis nigrae maestaeque Sorores,
 58 ut quibus e medio numina rapta sinu.
 59 Di melius ! Nec Dousa sinat, si sensus in urna ;
 60 si sit et in Musas, qui fuit ante, calor.

61 Invidere pium nobis (o crimina !) Dousam
 62 fata ; sed ultrices par adhibere manus.
 63 Praestantes virtute viros, et sanguine ab illo
 64 suscepit grata qui bona prima manu.
 65 Ergo laboranti, Praetor, succurre Lycaeο ;
 66 Praetor, Apollineis disce praeire choris.
 67 Nec desit Consul fugientes urbe Camenas
 68 sistere ; quae veri munia civis erunt.
 69 Exorere, o vindex ; namque haec tua munia, Consul,
 70 Aemiliosque novos saecula nostra ferant.
 71 Redde (rogaris) avum ; tituli officique memento,
 72 non poteris nostram deseruisse Saim.

ILLUSTRE GYMNASIUM AMSTERODAMENSE,
 BONO JUVENTUTIS APOLLINI ET NOVEM MUSIS IN FANO S. AGNETIS CONSECRATUM,
 AO. DNI 1631.

E3_2 v.1 Sancta Palatinis prognata parentibus Agnes,
 2 Romanas inter gloria prima nurus ;
 3 Cum Christo nomen, spreto Jove, Virgo dedisset,
 4 immaculata truci caeditur Agna manu :
 5 purpureoque sacros signavit nomine Fastos,
 6 immarcescibili fronde decora caput.
 7 Relliquiasque aliquis collegit flebilis hospes,
 8 et Trajectinis condidit ossa cadis.
 9 Ne tamen haec istis nequicquam quaerite terris ;
 10 Agnes Amsteliis tota revixit aquis.
 11 Ausonios loquitur proceres, gentemque togatam,
 12 Stagiraeque sinu divite promit opes.
 13 Otia promittit nullis obnoxia curis,
 14 monstrans "antiquis moribus" esse locum.
 15 Ipse Atlantiades flagrans Permesside mergi,
 16 traxit Pegaseas in sua vota deas.
 17 Non opus, Argolicas quisquam concedat Athenas,
 18 aut petat e Latio verba diserta foro.
 19 Quidquid id est, abeas "Agnētis in aede" petitum ;
 20 mollis, et haec animos non sinit esse feros.
 21 Barbara, quid lives ? Magna, at non omnia possis :
 22 quaedam etiam haec Agnes, si volet ipsa, potest.
 23 Illa potest doctis pubem formare Camenis,
 24 et cum vicinis sedula ferre pedem.
 25 Illa potest dignam ingeniorum extrudere messem
 26 ut deceant magnum Pilea sumpta virum.
 27 Ne metuas, Agnes ne sit tibi (barbara) fraudi.
 28 Hoc unum, ne sit barbara, Virgo cavet.

AMSTELODAMUM VENETIIS COMPARATA.

E3_3 v.1 Actius Hadiracas parvo laudaverat undas
 2 carmine, et a Venetis maxima dona tulit.
 3 Amstelii, Veneta cum non sint urbe minores,
 4 cur referant doctis dona minora viris ?

STUDIUM AMSTELODAMENSE ERGA BONAS LITTERAS,
 VIRIS CLARISSIMIS, GERARDO VOSSIO ET CASPARO BARLAEΟ,

PRIMIS PROFESSORIBUS, ANNO 1631.

E3_4 v.1 Vosne ad grammaticam, Vossi et Barlaee, vocatos
 2 rumor ait ? Quid sit, discite, grammatica.
 3 Prima rudimenta atque apices quicumque putabit,
 4 fallitur : auspiciu hinc (non nego,) grammaticae.
 5 Sed neque sunt canones praeceptaque cetera tantum ;
 6 transcendunt vestrae munia grammaticae.
 7 Aspernit ferulas, anguillas, taurea, virgas
 8 (sceptra Magistellis debita) Grammatica.
 9 Altius insurgens Aulam haec nutricula curat :
 10 Haec, haec digna viro principe Grammatico.
 11 Haec facit, ut quivis sic verba intelligat et res ;
 12 haec polit ingenium nobile Grammatica.
 13 Haec omnem Historiam, Leges, Edicta priorum
 14 explicat, et condit nectare Grammatica.
 15 Praecipit haec si quid MasurI rubrica vetavit,
 16 libat et e libris aurea, Grammatica.
 17 Neve coronatus populo monstretur asellus.
 18 Publica laudavit sanctio Grammaticam.
 19 Dixit in Urbanum, (sed Iberus dixit Iberis,)
 20 vitandam Romam Praesule Grammatico.
 21 Grammaticum merito talem Respublica quaerat,
 22 et talem quaevis Patria Grammaticum.

INAUGURATIO ILLUSTRIS GYMNASIIS HARDERVICENSIS.

E3_5 v.1 Vidit ut in cineres Tauri sedisse theatrum,
 2 structaque Caesarea tot monumenta manu ;
 3 et populi insano succurrere vellet amori,
 4 Ipse novum coepit Vespasianus opus.
 5 Sed Titus absolvit, mediaque sacravit in urbe ;
 6 atque animum in ludum mittere cura fuit.
 7 Jamque aliquod munus promiserat ; ecce repente
 8 Flavius ingentem vidit in Urbe manum.
 9 Vidit cirrigeros intonso crine Sicambros,
 10 quos stolidi vulgo trans Simoenta petunt.
 11 Scilicet ad sicam festinavistis, amici ;
 12 ad caedem, et si quod patrat Arena nefas.
 13 Sed quanto ad sacros, quos Gelro-Velavia ludos
 14 exhibet Hardvici, justius ire fuit ?
 15 Non hic humano Mars sanguine gaudet inungi ;
 16 nullaque falcigero pulpa parata Deo.
 17 Threidico non hic gladio pugnatur et harpa ;
 18 nec qui cogat adest Calvus utraque manu.
 19 Non auctorati, non qui sua vulnera vendant ;
 20 denique, non servi ; libera turba sumus.
 21 Musarum hic mystae, Phoebique coluntur epoptae,
 22 totaque Pieriis gens operata sacris.
 23 Hic Sophiae recta pubes contendit ad aedem,
 24 altior humanis ut queat esse malis ;
 25 frondosique simul superare cacumina Pindi
 26 nititur, et sertis implicuisse comas.
 27 Scrupea nonnullis visa est via ; sed tamen instant.
 28 Aurea saxosum gloria vincit iter ;
 29 gloria quae valido percussit pectora thyrsu,
 30 et tetricam laudis suasit inire viam.

31 Felices autem, quorum haec spectantur in oris,
32 et quibus has sedes condere cura fuit.

ILLUSTRI GYMNASIO GELDRO-VELAVICO, HARDERVICI INSTITUTO.

E3_6 v.1 Amphitheatrales cum Titus in aethera moles
2 tolleret, et media pegmata celsa via :
3 ad promissa celer quis non spectacula venit
4 ludicra ? Quid ! totus Orbis in Urbe fuit.
5 Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
6 spectatum ludos, Caesar amoene, tuos.
7 At nunc Romulidae (fuerit modo publicus illis
8 sensus) : ad haec Clario templa dicata deo,
9 Musarumque domos, tanquam ad vivaria, pergant :
10 hic ubi Phoebéis gens operata sacris
11 ipsa manu ducit pubem ad collegia Divum,
12 Eirenesque inter proelia tractat opus.
13 I nunc, Livor edax, et amantes bella Sicambros
14 non artes etiam pacis amare nega.

TYPOGRAPHIA HARLEMENSIS, PALLADIUM, PRAESIDIUM,
ET TUTELA MUSARUM ATQUE OMNIS DOCTRINAE.

E3_7 v.1 Cum pius ardentés Aeneas linqueret arces,
2 Laomedontéas dissimulavit opes ;
3 sacra Laresque Phrygum potius, Vestamque potentem
4 abstulit injecta, pignora cara, manu,
5 Iliacis erepta rogis : queis maxima Roma
6 surgeret, Imperii Roma deumque locus.
7 Hic ubi servavit, flamma populante, Metellus,
8 Vulcanumque sacris jussit abire suis :
9 virginibus viso multum trepidantibus igne,
10 summa viro Pallas cura, laborque fuit :
11 Imperii fatale decus, quodque imputet astris.
12 Quod tibi si pereat, Roma, repente cades.
13 Hoc salvo salvi cives, et cetera salva :
14 tanti pervigiles est coluisse focos ;
15 semper et arcanum tanti occultasse pudorem.
16 Visa dea : at magno visa, Metelle, tibi.
17 Palladio nostram vere assimilabimus artem :
18 et sane diae Pallados instar erat.
19 Illibata oculis, nullique adspecta virorum,
20 coeperat hic tacita relligione coli
21 Pallas ; in abstruso pignus memorabile tecto :
22 estque, quod appelles, hic penetrabile sacrum.
23 Non tamen hoc signum Trojae deduxit, ad urbem
24 Dardanus ; Iliacus nec tulit inde pater.
25 Delapsum caelo (nam tantum numen in ipso est)
26 credimus, et magna parte latere sui.
27 Hinc Mysis vitae longaevae cuditur usus,
28 Phoeboque aeternus conciliatur honos.
29 Aedituo sternente viam, sic itur ad astra.
30 Vivitur hoc pacto : cetera mortis erunt.
31 Hos veri custodis erat servare penates ;
32 adfuit Autolyçi sed scelerata manus.

33 Vidimus Harlemo transferri pignora Vestae ;
 34 atque Moguntiatis sacra reposita cadis.
 35 Delubrum vacuum, nudumque altare reliquit
 36 perfidus ; ablatis omnibus ante bonis.
 37 Palladis extinctos si quis mirabitur ignes ;
 38 ignoscat : lacrimis spargitur ara meis.

DE LAURENTIO COSTERO,
 PRIMO TYPOGRAPHICAE ARTIS INVENTORE PALLADIIQUE VINDICE.

E3_8 v.1 Cum scribendorum Monachis data cura librorum
 2 esset, et ignava charta notanda manu ;
 3 raraque prodiret membrana coronide picta,
 4 officium dextra non peragente suum.
 5 Cum calami succo dulcem praeferret Iacchum,
 6 saepiaque apposito cederet atra mero ;
 7 vidimus excidium Musis Phoeboque parari ;
 8 et decus exstingui Pegasis unda tuum.
 9 Ni Superum monitu, et fatorum numine dextro,
 10 sedula Laurenti cura tulisset opem.
 11 Illius artifices cudit sollertia formas ;
 12 invenit pulchros Daedalus ille typos.
 13 Doctus fecunda servare propagine Musas,
 14 tantum non pigras exsuperare manus :
 15 hic potuit lapsis solus succurrere rebus,
 16 auctorumque breves anticipare colos ;
 17 vindex Palladii, quod nullo labile saeclo
 18 custodem assidue tollet in astra suum.

LAURENTIUS COSTERUS AEGAEONI VIRGILIANO COMPARATUS.

E3_9 v.1 Creditur Aegaeon fictus, quem brachia centum,
 2 centenasque manus exseruisse, volunt ;
 3 et fertur toto notissima fabula mundo.
 4 Desinite : accepit fabula prisca fidem.
 5 Qui talem monstrat miseris mortalibus artem,
 6 unde uno crescit Bibliotheca die.
 7 Unde et Musarum nunc copia tanta resultat,
 8 centum nonne manus hunc habuisse putas ?
 9 Hic vir, hic Harlema Laurentius editus urbe,
 10 auctor ab inventis missus in astra typis.
 11 Imprimit ille die, quantum vix scribitur anno ;
 12 et centum calamis praevalet una manus.
 13 Dum Cadmi natas, sic praelo admota, nigellas,
 14 publicaue innumeros trudit in ora libros.
 15 Cedite, Romani sollertes, cedite, Graii ;
 16 cedant invento prisca reperta novo.
 17 Arte sua veteres vicit Laurentius artes,
 18 quas habet aut Graecus, quasve Latinus habet.
 19 Invidet, ha ! nequam Mogus tibi, Sparna : quid horres ?
 20 Sparna, tuum est : falso jactitat esse suum.
 21 Omnino et inventi debetur palma Batavo.
 22 Laurenti circum tempora laurus eat.
 23 Accipite aeterni redivivum Aegaeona fasti ;
 24 Ah ! numquam Aeneae concidat ille manu !
 25 Degener infaustum nec nomen praeferat Hispo,

26 aut noceant Gallae (di prohibete !) nives.
 27 Si quis in hunc hostile aliquid temerarius ausit,
 28 Herculeis impar viribus ille cadet.
 29 Quinquaginta efflat metuendos oribus ignes ;
 30 pectora sunt totidem, bis totidemque manus.
 31 Confisus centum clypeis, centum ensibus audax
 32 vincere, io ! Nulli cedere gnarus adest.
 33 Ille meus civis, nullo delebilis aevo ;
 34 pro quo docta velint agmina tota loqui.
 35 Et si defuncti barbam tentare Leonis
 36 audeat, atque urnis eruere ossa Canis,
 37 ipse ego descendam in mediam gladiator arenam,
 38 ipse ego, (sic pax sit Manibus !) ultor ero.
 39 Non impune feret ; facinus nec abibit inultum.
 40 Ipse ego, si desit cetera turba, loquar.

DE EODEM.

41 Qui facili excudit centena volumina nisu,
 42 centum credibile est hunc habuisse manus.

I.

VINDICIAE ARTIS TYPOGRAPHICAE.

E3_10 v.1 A Jove principium prisca sumere Poetae.
 2 Nos etiam veteres hic imitamur avos.
 3 Et ne Livoris sint scabro obnoxia denti
 4 carmina, de Fago quae mea Musa canit.
 5 In Fagutali suspendimus illa sacello :
 6 sic defensorem sunt habitura Jovem.

II.

TYPOGRAPBIA PRIMUM FAGINA.

E3_11 v.1 Spondeat aeternas cum fagina littera chartas,
 2 fagina prae reliquis silva colenda venit.
 3 Objice quantumvis citreas mihi, Roma, tabellas ;
 4 objice et axonas ; fagina pluris erunt.
 5 Mellifer hac sedit (sic fama) exercitus alveo,
 6 sedulaque est tanti muneris auctor apis.
 7 Ars trahit haec secum. Tibi dulcia saepe propinat.
 8 Cuspide nonnumquam pungit amara suo.
 9 Non Hyblam semper, non semper Hymettia mella
 10 promit, at e duris lecta venena rubis.

III.

 TYPOGRAPHIAE COMMENDATIO. 'XALKEA XPUSEION' BENEFICIO TYPOGRAPHIAE. (grec)
 DE SPLENDORE ET AETERNITATE LIBRORUM A PERITIS TYPOGRAPHIS EXCUSORUM.

E3_12 v.1 Quamvis nec Genius libris, nec Gratia desit,
 2 tinxerit et calamum nectare Suada suo ;
 3 hos rarus coemit, nec ad omnes pervenit usus ;
 4 victurumque alias saepe peribit opus.
 5 Sed qui chalcographo dederit sua scripta perito,
 6 surgit ab egregiis auctor in astra typis.

7 Quodque tomus chartae nequit aut promittere penna,
 8 aeternum tincto nomen ab aere trahet.
 9 Pauca dabit scriptor, sed mille volumina praelum
 10 quae volitent passim docta per ora virum.
 11 Aereque ab artificii purum decerpitur aurum,
 12 quod modo non dives, sed quoque pauper habet.
 13 Sic sua cum Lycio donasset aheria Glauco,
 14 aurea Tydides rettulit arma domum.

RUDIMENTUM ARTIS TYPOGRAPHICAE

E3_13 v.1 Cur solus toties nemus Harlemense frequentet,
 2 et Costeriades sic loca sola petat,
 3 et repetat silvas toties, et gaudeat umbra,
 4 quaeritur : et res est digna favore tuo.
 5 Non in vulgivagas patranti fractus ocello
 6 exit ad illiciti dulcia furta tori,
 7 non ob formosam secura in valle puellam
 8 (silva lupas offert, et quoque saepe deas).
 9 Non haec foeda probum tangit venatio civem,
 10 damnat et austerus monstra nefanda pater.
 11 Non ut avem jaculo transfigat in arbore visam,
 12 implicitam aut visco deferat inde domum.
 13 Non illi notus crescentis arundinis usus ;
 14 non artes aliae ; nil juvenile sapit.
 15 Non ut rusticolae, et fringillis retia tendat,
 16 aut turdum in laqueos insidiosus agat.
 17 Non volucrum praedo dextram comitatur herilem.
 18 Non tanti perdix, ullave praeda viro.
 19 Non lepus est tanti, leporisque cuniculus instar.
 20 Non est in magnas impetus ire feras.
 21 Praeterit aeripedem virtus Laurentia cervum,
 22 qui neque prostratis mille superbus erit.
 23 Non haec cura coquit. Venatur sedulus artem,
 24 qua Musae possint cultius ore loqui
 25 artem, quae doctos venturo conferet aevo,
 26 unde juventa queat sumere mentis opes.
 27 Qua duce, thesaurum parvo sibi comparat aere
 28 pauper, et e propriis fontibus haurit aquam.
 29 Rarus erat codex : nunc desunt pulpita libris.
 30 Cedimus haud regi, ne, Philadelphe, tibi.
 31 Larga haec librorum Laurenti munere messis
 32 provenit : haec artis sunt monumenta novae.
 33 Scire rudimentum, pretium est operae. Accipe, lector,
 34 quo primum nata est tempore, parva fuit.
 35 Sculpitur in plana Palamedis littera fago.
 36 Littera honorato saepe iteranda viro,
 37 ut versus fiat : sculpturaque tingitur atro,
 38 et reddit varias tincta colore notas.
 39 Vidit ut impressam versum servare papyrum ;
 40 "Ad majora, inquit, fautor Apollo, veni."

DE TYPOGRAPHIA. DIALOGISMUS INTER POETAM ET PICTOREM.

(Le caractère _ indique un changement d'interlocuteur à l'intérieur du vers.)

POETA.

E3_14 v.1 Quae Dea, quam decorat sinuoso littera limbo,
2 quae pictum vario schemate syrma trahit ?

PICTOR.

3 Chalcographeia dea est. _ Quaenam urbs, quam conspikor, illa est ?

PICTOR.

4 Harlemium. Ars olim hac sede reperta fuit.

POETA.

5 Quaenam adstant Nymphae ? _ Dulces ante omnia Musae
6 expressae, ut possis hic numerare novem.

POETA.

7 Cur anguis capita alta premit sic flexus in orbem ?

PICTOR.

8 Hoc vitae aeternae symbolon esse volunt,
9 quam dea largitur Musis. _ Jam tempora nosco
10 laurigera. Hic sancti praesul Apollo chori ;
11 ille deus noster. Sed quis latere iste sinistro ?

PICTOR.

12 Felix e Lauri nomine nomen habet.
13 Artis divinae memorabilis ille repertor ;
14 plena cui Phoebi dextra favore fuit.

POETA.

15 Hicne igitur Costerus adest Laurentius ? _ Immo.

POETA.

16 Vivat, io ! Inventis missus in astra typis.
17 Qui dedit assiduis scriptoribus otia, per quem,
18 crevit inexhausti Pegasis unda lacu.
19 Ut de plebe aliquis nolit concedere regi,
20 et parvo innumeros vindicet acre libros.
21 Sed recita, pictor ; quaenam haec tam turbida vultu
22 femina, quae lacrimas extus et intus habet ?
23 Forsitan hic ringens livensque Moguntia plorat,
24 et Guttenbergos, Fustiadasque crepat.

PICTOR.

25 Non ea mens : erras, deceptus imagine falsa.

26 Quamvis haec poterat sic queribunda legi,
 27 ut cui detraxit Scriverii pagina larvam.
 28 Pagina mentitos nescia rere typos.
 29 Censeri (fateor) viduata Moguntia posset ;
 30 haud tamen illa meo digna lepore fuit.
 31 Hoc habitu Metanoea mihi depingitur. _ Ergo
 32 quae Graeco nota est nomine, nota tibi est ?
 33 Quam Cicero nondum didicit, nec candida Roma ?

PICTOR.

34 Mentior, hanc docti me docuere viri,
 35 et vatum praesaga cohors. Quin paene Poetae
 36 nos sumus, et Phoebo pectora nostra calent.

POETA.

37 Est ut ais ; quamquam risus tua dicta sequatur,
 38 miscere et salsos hic videare jocos.
 39 Non abludis ; ita est. _ Sed dic mihi, blande Poeta,
 40 cui veterum excusa est bibliotheca patrum,
 41 nilque latet : non haec conjungi nomina gaudent ?
 42 Nonne solet divam continuo illa sequi ?
 43 Scimus (et hanc veniam petimusque, damusque vicissim) :
 44 quos pudet, et sero paenituisse dolet.
 45 Post famae inflictum vulnus, populi que cachinnos
 46 discitur haec fatuis torva Megaera viris.
 47 Hi, primum, ut nati, dias in luminis oras
 48 emittunt fetus, non sine labe, suos.
 49 Nemo semel pastas (quod verum) ruminat herbas :
 50 sublestas vulgi trudit in ora notas.
 51 Tollunt, quod genitum est. Nequicquam versus Horati
 52 scriptus, et (ah !) illis vix bene lectus erat.
 53 In nonum Venusina chelys praeceperat annum,
 54 si victura voles nomina, scripta premi.
 55 Edendi prurigo vetat : schediasmata sola
 56 in forulis proftant, bibliopola, tuis.
 57 Et festinatis implentur pulpita nugis ;
 58 pulpita grandiloquo digna Marone premi.
 59 Cum jam sordet opus, cum passim sibilus illud
 60 exigit, ut vellent continuisse domi.
 61 Sed sero ; et, quamquam magno mercentur inepti,
 62 elapsum manibus non revocatur opus.

FESTINA LENTE.

E3_15 v.1 Quid ! festinandum lente quoque suaserat Aldus,
 2 Sed signum hoc nauci : littera sola placet.
 3 Haud temere a volucris complectitur anchora pisce :
 4 non frustra delphin (credite) pictus erat.
 5 Quod si animadversum signum tibi, Blenne, fuisset,
 6 non esset fronti tanta rubedo tuae.
 7 Non ita praecipitet Samii Lucumonis acumen,
 8 more sed ursino lamberet auctor opus.
 9 Quare, si sapitis, ne festinate libelli :
 10 quae datur admissis, gloria flaccet, equis.
 11 Qui lente graditur, templo succedet Honoris ;

12 qui properat, clausa jam fore, sero venit.

IN PALMAM ERPENIANAM, SIGNUM TYPOGRAPHICUM,
CLARISSIMI VIRI V. THOMAE ERPENII.

E3_16 v.1 Hospes Idumaeis quicumque erravit in oris,
2 hunc nequit ingenium, Palma, latere tuum.
3 Flecteris haud umquam, sed pondere pressa resurgis
4 altius, et laetas tollis in astra comas.
5 Niteris adversus vim, cedere nescia cuiquam :
6 et spoliū de te tollere, palma foret.
7 Pressaque quantumvis ; Jani caryota calendis
8 mittitur, et munus dives amare potest.
9 Utque nuces Thasiae, et glandes celebrantur Iberae,
10 sic etiam Aegypto palma petita placet :
11 deliciasque gulae tibi, callida Roma, fuisse
12 ille togatorum gloria Varro canit.
13 Dactylus et nostrae venit ad bellaria mensae,
14 dulciaque huic inter primus habetur honos.
15 Symbolon, Erpeni, tibi convenit utere dextro
16 Hercule, Cumanae saecula vatis agens.
17 Sed Musis quandoque tuis diludia posco,
18 leniat et curas blanda Vacuna tuas.
19 Ne mors praeveniat, crudos neque desecet annos
20 Atropos, heu, studiis insidiosa tuis !
21 Grandia moliris, nostrisque intacta Batavis.
22 Sed venit ex molli gloria nulla jugo.
23 Hinc indefessus sine fine modoque vagaris
24 per dites Arabum perque Orientis opes.
25 Palma Palaestinum modo quae neglecta per arvom
26 languit, in nostro luxuriabit agro.
27 In quam nil juris tibi, Vespasiane, putabis :
28 nec decet hanc nummis prostituisset tuis.
29 Judaea, dux magne, potes gaudere recepta,
30 et Capitolino mittere sarta Jovi.
31 At tibi post tot duros catenatosque labores,
32 Erpeni, cedat palma, nemusque sacrum.
33 Ex quo cum totum fructus diffundis in orbem,
34 o quanta laudes, praemia quanta manent !
35 Forfan et haec, meritis si non respondeat orbis,
36 palma tuas ultro circuitura comas.

GULIELMI CHRISTIANI BOXII, TYPOGRAPHI LEIDENSIS,
QUERELA AD PONTICUM.

E3_17 v.1 Si genium, quae scribis, habent, et mittis in ora
2 publica, per nitidos illecebrosa typos,
3 perque loquuturas praelo transfusa tabellas,
4 mille statim volvent, diripientque manus.
5 Est aliquid splendor, sed sic non ibit in aevum.
6 Vivet opus, genio velificante tuo.
7 Pontice, vivet opus, Jove plenum, et nectare vivo,
8 ambrosia pastum, Pontice, vivet opus.
9 Haec via processum decies repetita placebit :
10 pullulat, et nummis rumpitur arca suis.
11 Hinc Elzevirios celebrat nunc fama penates,

12 pinguius ad Rhenum, quam tibi, Dyla, solum.
 13 Una quot ediderit, vix dicam, Leida tabernas.
 14 Omnis et ex quaestu facta beata suo est.
 15 Plantino (tanti constantia juncta labori)
 16 nondum divitibus lapsa corona comis.
 17 Sic bene succedit. Si scribis Apolline nullo,
 18 nullius pretii carmina vatis erunt.
 19 Ipsa quin etiam mox interitura sub ortu,
 20 proh pudor ! et tenebris involuenda suis.
 21 Quem nec laurus amat, nec amant Permessidos undae,
 22 audet Apollineae tangere fila lyrae.
 23 Laudarem, toto si non ejecta theatro
 24 vidissem torva carmina fronte legi :
 25 affectat tamen Hispo legi majore papyro,
 26 et Venus a pulchro concilianda typo.
 27 Sed typus iste typhus, nihilique amplissima merges
 28 carmina, si lucem ferre diemque negent.
 29 Heu, steriles rerum, pretiosae parcite merci :
 30 ad nugas poterit charta minoris emi.
 31 Quae tunicam piperi, peto quae praebeat ignem,
 32 aut ad tergendas sola sit apta nates.
 33 Non hac fine suam Laurentius extulit artem,
 34 ille Harlemaei fama decusque fori.
 35 Ipsaque conspectis aversa Moguntia nugis
 36 horreat, et furto vix putet aequa suo.
 37 Unde tot indomiti deridendique poetae,
 38 Pontice ? Cum Bojis nunc ubi Planta suis ?
 39 Injiciat pedibus bojas, et Carmina damnet,
 40 intempestivo quae male fulta pede.
 41 Si socios fortasse suos constringere nolit :
 42 quidquid id, officii nec videt esse fui.
 43 In, Suffene, tuum veniat numerosa Senatum
 44 Saturnalicios turba datura jocos.
 45 Quid moror, auctorum si fiunt talia damno,
 46 turdus et exitium si cacat ipse suum ?
 47 Sed quia Pegaseo non tinxi labra liquore,
 48 (ut plerumque isti barbara turba sumus)
 49 fallor, et ingentis delusus imagine lucri,
 50 sumptibus arripui frivola multa meis.
 51 Boxia simplicitas luit haud exercita poenas.
 52 Cruribus illisa est ascia saepe meis.
 53 Candorique meo vitium sine crimine factum,
 54 paene ut me nullis auribus esse velim.
 55 Foedifragosne citem, qui detraxere labori ?
 56 Dignus erit numeris Bibliopola meis ?
 57 Nocte premi patiar : nunc exponenda supellex
 58 chartea, quae Domino perniciosa suo.
 59 Quos nummos Gysbertus habet ? Manifestaque spargi
 60 pagina debuerat ; nunc latet illa domi.
 61 Cetera quid narrem ? Maculo queis commodet aedes
 62 non ego ; jam vili quae meus emptor habet,
 63 omnia nec docto sunt responsura palato.
 64 Ad gustum populi qui sapit, ille sapit.
 65 Quis mihi scriptorum tamen haec dispendia farcit,
 66 cum videat, vano prela labore premi ?
 67 Si quid id est, raris mihi stant armaria libris :
 68 nonne liber rarus, quem prope nullus habet ?
 69 Boxius haec ; queruloque aliquis sublegit ab ore,

70 et dixit : "Tua qui non legit, ista legat."

IN STRUTHIOCAMELUM, SIGNUM TYPOGRAPHICUM GULIELMI BOXII.

E3_18 v.1 Quaeritis unde novo quaesita haec gloria prato
 2 Struthus, avis pennis illa superba suis ?
 3 Si prelum inspicias, avis est ; prelum alitis instar ;
 4 et crescit celeri pagina multa pede,
 5 curriculo volat haec ; prelumque volatile currit,
 6 et toties pressas itque reditque vias.
 7 Omnis avi in pedibus, non pennis (credite) virtus.
 8 Preli usus, non vos vivere penna facit.

IN ROMAM AB INFERIS REDUCTAM,
 SUB PRAESIDIO CLARISSIMI VIRI, MARCI ZUERII BOXHORNII,
 ELOQUENTIAE PROFESSORIS ORDINARII, DE ANCI MARCII PRINCIPATU.
 RESPONDENTE ORNATISSIMO JUVENE GEORGIO CLENQUIO.

E3_19 v.1 Circumspecta minus cum proxima sceptrata fuissent,
 2 rarus et antiquae religionis honor,
 3 et sibi Roma Numam lamentaretur ademptum :
 4 "Heu, ubi nunc pietas ! Heu, ubi prisca fides !
 5 Quae spes in Tullo ? Vix gloriator aucta ruinis,
 6 Alba, tuis ; et adhuc tinnit in aure sonus,
 7 quem tuba terribili procul edidit aere canoro :
 8 excidii miseret quemlibet, Alba, tui."
 9 Quod miretur, habet : non divum templa deorum ;
 10 sed neglecta domi. Tulle, cruentus eras,
 11 bellaque spirabas Albae junxisse Sabinos
 12 quantula laus, si vi fulminis icta ruat !
 13 Sanctius Imperium virtus Romana requirit :
 14 aque Numae princeps incipiendus erit.
 15 Iste Numae tradux de semine prodeat Ancus :
 16 sacrificum Romae filia reddat avum."
 17 Dixerat : Elicii coepit Jovis ara moveri
 18 protinus, inque alba cyclade cana Fides.
 19 Caelestes clipei, fatalia pignora Romae,
 20 Palladium, Vestae Nautia sacra deae.
 21 Abdita Janiculi senis arca petita recessu,
 22 lectaque divini pagina sancta viri.
 23 Non consumpta rogi flammis (ita jusserat) adstat,
 24 ante oculos Anci regis imago sui.
 25 Cum Tullo nil, Ance, tibi ; Metique quadrigis :
 26 non Tullus celebrem signet honore diem.
 27 Ille Numae dispar, et rege ferocior ipso
 28 cui nomen debet condita Roma suum.
 29 Principe te jactet majorum pondera rerum ;
 30 nunc natam auspiciis se putet esse tuis.
 31 Lictores tribuis : sellae toga picta curuli
 32 addita. Nec miles dormit in arce tua.
 33 Rem repete a priscis, post foedera rupta, Latinis :
 34 rapta, doce, quo sit res repetenda modo.
 35 Jam numeras partos pius aedificator honores ;
 36 agnoscit titulos Ostia structa tuos.
 37 Pons, carcer, portus, nova moenia, sexque salinae
 38 textrinumque aptum navibus ; omne tuum est.

39 Et, quae Vejentum fuerat, data silva Quiriti
 40 Mesia. Sed longa tot bona nocte latent.
 41 Aeternae si fas, (sed fas), Boxhornius Urbi
 42 consulit, hospitio quam capit ipse suo.
 43 Inde secuturum profert nunc Clenquius Ancum,
 44 et nos antiquis moribus esse iubet.
 45 Roma vetus nusquam est, nisi sit sub praeside nostro ;
 46 quaeris "Ubi ?" : Leidae reddita Roma sibi.

AD ARNOLDUM VINNIUM,
 ICTUM, DEFENDENTE CONRADO BEUNINGIO, EJUS NEPOTE.
 DISPUTANTE SUB EO FLORENTIO ELIA, DE TUTELIS ET CURIS.

E3_20 v.1 Qui curae fuerat Themidi, tibi que optime Vinni,
 2 tutela didicit posse carere tua.
 3 Sic porro juveni legum sacraria pande,
 4 quaeque sequenda viro, quae fugienda, doce.
 5 Errabunda regens vestigia flexilis aevi,
 6 Zveriacae reddas pignora digna domo.
 7 Pergat, et aversis oculis ad Iasonis aurum.
 8 Se potius nullas credat habere manus.
 9 Abstineatque ad se ducentibus omnia nummis ;
 10 empta nec a Recti causa tenore trahat.
 11 Videt Avaritiae pestem, quae sontica Divae,
 12 non odium, non vis, gratiave ulla placet.
 13 Nec tam longa mihi placeant examina legum,
 14 Hagano pendent quae numerosa foro.
 15 Quid septem introitus, tricasve, aut retia dicam ?
 16 Justitiae cultor sic mihi nullus erit.

AD AMPLISSIMUM VIRUM ALBERTUM CONRADUM BURGIIUM ;
 THESES DE AEDILITIO EDICTO DEFENDENTE CONRADO BEUNINGIO, EJUS NEPOTE.

E3_21 v.1 Cum Patriae sedeas ad publica munia, Burgi,
 2 vix ausim curas sollicitare tuas.
 3 Sed facit audentem virtus Beuningia, qui nunc
 4 disserit ingenii semina dia sui :
 5 Schotaniumque ducem sequitur vix dispare passu.
 6 Hei, quod non tantis fas sit adesse viris !
 7 Cogimur absentes Pimplaeum adscendere montem,
 8 paucaque Pieriis verba ligare modis.
 9 Hi mihi conatus, haec prima pericula tanti,
 10 ut damnem lusus ipse poeta meos.
 11 Diximus undecima scribi veracius hora
 12 carmen : et hic cornix saepe sinistra canit.
 13 Mutius in cathedra magnis miser excidit ausis,
 14 "Euge" domum referens et perinane "Sophos".
 15 Hinc spes nonanos fallit concepta poetas.
 16 Sed non hic (fateor) casus ubique valet.
 17 Nam de cognato major fiducia nostro,
 18 quem Nervae haud dubitem composuisse suo.
 19 Si mentem inspiciat, similem sibi credat Apollo ;
 20 si mentem, dotes juret habere pares.
 21 Quo me transvorsum rapis, o dulcissime rerum ?
 22 Verbaque per jugulum mox reditura doces ?

23 Ad nonam numquam decreram scribere versus ;
 24 ad nonam vobis hoc schediasma damus.
 25 Non dolet hoc, (testor Musarum sacra) ; sed illud,
 26 cognato sisti me nequiasse meo.
 27 Tu qui aediliciae nunc excutis abdita legis ;
 28 excute, an aedilis mi metuendus erit.
 29 Mendosum carmen scribebam ex tempore vates :
 30 mendacem titulum vix tamen esse putem.

IN PETRUM VAN DER MARSCHE, CONSULIS PRIMARII FILIUM,
 CUM POST HESTERNAM DISPUTATIONEM, JURISPRUDENTIAE DOCTOR RENUNTIACUS,
 A SENATU ACADEMICO DOMUM DEDUCERETUR.

E3_22 v.1 Vincebat Marschaeus heri, nunc Daphnide cinctus
 2 consulis eximii limina Patris adit,
 3 sollemnesque dapes. Proceres comitantur ovantem ;
 4 Leidaque Rhenani fida ministra cadi.
 5 Ad Marschaeanas hilares concurrite lauros :
 6 vividius cyathi spumet in ore merum.
 7 Det cocus "in gustu", quod Bacchi provocet usum,
 8 nilque, quod officiat, "mensa secunda" ferat.
 9 "Quid defioculus miser haec ad prandia, poscor ?"
 10 "Qui superest, oculi damna cavenda mei.
 11 Ne me Bilbilici immemorem salis esse putate :
 12 ignarus bibuli quis Phrygis esse potest ?
 13 Me decet in casto nunc vivere, solvere vota,
 14 cum prope sit vitae scena peracta meae ;
 15 et soldo septem superasse decennia lustro
 16 cras legar, et genio dona ferenda meo.
 17 Cras cum cognatis sacra lux Natalis agenda,
 18 inter privatos, gaudia nostra, lares.
 19 Ultima nostrarum forte est implenda dierum :
 20 jam satis est, tetrico si licet esse mihi.
 21 Non piguit madidos olim coluisse sodales ;
 22 cur, quod dulce mihi, vel meminisse, negem ?
 23 Non illi mores hodie, cum senior aetas :
 24 proxima nox nullo pervigilanda mero.
 25 Vellem equidem, ut velles vino depellere curas,
 26 et dare convivis otia parva tuis.
 27 Sed terret juvenum validorum candidus ordo,
 28 qui stomacho numquam deficiente bibunt,
 29 et vacuanda mero tot cymbia, totque salutes
 30 Principis infantis, Nassaviaeque domus.
 31 Si quid opis nostrae est alibi, haud Scriveria virtus
 32 deerit, at in laudes non opus ire tuas.
 33 Nam tua cum totis spectes encomia valvis ;
 34 area carminibus non datur ulla meis."

AD GEORGIUM VAN DEN BROECKE,
 THESES DE JURE DOTIUM DEFENDENTEM.

E3_23 v.1 Dum conjuratos tuos, o Broeccae, labores
 2 impetus in leges sanctaque jura tulit :
 3 adfuit, et totam tibi sese Astraeta recludens
 4 omnigenas cornu divite fudit opes.
 5 Jamque nihil rertat, nisi tali dote beato

6 ut Themis in doctam transeat ipsa manum.
 7 Connubium certe generosus Dyckius optat,
 8 cui veneranda Dice nomen, opesque dedit.
 9 Illius auspiciis jam flammea cerno parari,
 10 sartaque promeritas circuitura comas.

ALBERTO CRUSIO, HAMBURGENSE,
 CUM PUBLICE DE TESTAMENTIS RESPONDERET.

E3_24 v.1 Pirithoo Pyladive parem me dicere possum,
 2 promissamque nota de meliore fidem.
 3 Nec satis hoc Crusii ; verborum carmina testes
 4 exigis, et calami splendida signa mei.
 5 Quae populo mores tuaque inclita facta loquantur,
 6 quorum Lugdunum maxima testis erit.
 7 Ah ! Temere ; nam cum multa sis dote beatus,
 8 nullaque sit meritis fama maligna tuis :
 9 et tua sit magnis virtus cantata poetis,
 10 non aequum est Musas sollicitare meas.
 11 Ipse potes carmen Phoebos dictare favente,
 12 grandiaque Andina proelia flare tuba.
 13 Otia tota tibi Dii concessere benigni :
 14 pro dolor ! ad lusus vix datur hora mihi.
 15 Patria me totum sibi vindicat, actaque gentis
 16 pulchra Batavinae sunt celebranda mihi.
 17 Haec tamen ut paulum seponam, frigida scribam
 18 carmina, nec docti digna favore viri.
 19 Magne Gryphi, et vos o queis clara Hamburga superbit,
 20 eructatque novas spumeus Albis aquas,
 21 his apinis nugisque meis ignoscite ; vester
 22 me vatem caeco civis amore putat.
 23 Et placet hic error. Quare nec carmen amico
 24 praefracta potui fronte negare meo :
 25 chrysea quantumvis possit, nos frivola tantum,
 26 scrutaque : "Sed scruta haec signa favoris erunt".

DE TULLII PRINCIPATU,
 PRAESIDE M.Z. BOXHORNIO RESPONDENTE CHRISTIANO MOLLO.

E3_25 v.1 Diu satis ad Vestae, Pallatinosque penates,
 2 diu satis Iliacos sedimus ante focos.
 3 Da, puer, huc citharam ; jam tertia plectra movemus
 4 Romulus in primo carmine nomen habet.
 5 Huic Numa subjunctus, pietatis idoneus auctor,
 6 qui rudibus mores sanctaque jura dedit.
 7 Major uter, quaeris, tantique ad pondera regni
 8 aptior ? Ad Samium jurgia mitte senem.
 9 Sint modo quae Curibus, sint quae placuere Sabinis
 10 dogmata Romano non aliena foro.
 11 Sacrificus plures, sine vi, sine sanguine, laudes
 12 auseret : et causa, Romule torve, cadis ;
 13 quotque Numae ritus, numeret tot Roma triumphos.
 14 Tanti erat a Curibus, Roma, vocare Numam
 15 sidera qui nosset, praeceptoremque referret,
 16 erueretque, diu quae latuere suos.
 17 Arguit imponi mensis animalia doctor :

18 carne vetat puras conscelerare manus.
 19 Aurea quin aetas non polluit ora cruore.
 20 Tune alia censes mente fuisse Numam ?
 21 Sic Numa praevaluit, sine caede et sanguine victor.
 22 Quantum abit ille, hominum cui laniena placet !
 23 Iliades bellator erat, Mavortia proles.
 24 Quem cano, non alia condicione fuit.
 25 Iliadae par Tullus, amant sua saecula Tullum.
 26 Haud alio vellet Martia turba regi.
 27 Nunc igitur dicendus erit. Da, Velia, Tullum :
 28 Romaque da velis flabra secunda meis.
 29 Tertius a primo rex Tullus, in agmine primus,
 30 quique Numam jubeat res sibi habere suas.
 31 Cumque erat armorum jam desuetudine mitis,
 32 nulli et fas rigidae rumpere vincla feræ ;
 33 Janus ab opposita jussus procedere porta,
 34 clausaque quae fuerat janua, tota patet.
 35 Clusius ille diu, nunc esse Patulcius audet,
 36 et ruit effuso Mars furibundus equo.
 37 Quid malesane paras, positone adsuescere bello,
 38 et dare militibus munia quaeque suis ?
 39 Auspiciisque tuis Meditatio prima sub armis
 40 exit, et in populo nulla Vacuna tuo ?
 41 Otia forte times ne longa Quiritibus obsint,
 42 buccina degeneres ne quoque ad arma vocet.
 43 Euge, sapis : geminatque meum Boxhornius euge.
 44 Et belli quis non haec simulacra probet ?
 45 Pluribus at forsitan prolusio gratior esset,
 46 si neque bella solo, si neque bella salo.
 47 Ludere si miles tantum, non laedere vellet :
 48 arma nec auctori pernicioosa suo.
 49 Sed nocitura minus, si per compendia pugnes.
 50 Non tantum (fateor) sanguinis illa trahunt.
 51 At quid erit, si Roma viro pendebit ab uno ?
 52 Non est tergeminis causa probanda viris.
 53 Mars vigilet potius, totusque exercitus. Albam
 54 cingite, Romanae mox dicionis erit.
 55 Hostus en hostis adest, rex Tullus ; tertius ergo
 56 perfidiae vindex qui mihi primus erat ?
 57 Fufeti quamquam cupiam procul esse quadrigas,
 58 suppliciumque atrox docta Palaestra notet.
 59 Mollius et noster mage mollia jura requirat ;
 60 crimineque intactas praestet habere manus.
 61 Pro pudor ! Eversam nolit, nisi barbarus, Albam.
 62 Una nec innumeras deleat hora domos.
 63 Vix totidem ut numeres Albanos, Roma, Quirites !
 64 Attamen imperio consulit ille suo.
 65 Stirpitus excisis, haud turbae, haud bella timenda
 66 amplius, hic sapiens, non modo fortis erat.
 67 Sed sacra neglexit, sed pulvinaria divum
 68 hoc duce sollempnes non oluere dapes.
 69 Non impune. Viden' quem spreti numinis ira
 70 obruat, et subiti fulminis ala premat !
 71 Extremo coluisse Numam sub tempore vitae
 72 nil juvat, Elicio nec sacra facta Jovi.
 73 Miremur tactos infesto sidere reges !
 74 Fulmine obit, quisquis fulmine digna gerit.
 75 Fama tamen raptum cognati fraudibus Anci

76 rettulit. Haud regni tanta cupido mei.
 77 Cum Woelwicanis innoxia Musa viretis
 78 ambulat, o nulli, nec tibi, terra, gravis.
 79 Ille Numae dispar, et rege ferocior ipso,
 80 cui nomen debet maxima Roma suum.
 81 Tullus Boxhorna rex calligandus arena.
 82 Tulle, quid excusas ? Hospes an hostis eras ?

DE ROMULI PRINCIPATU, SUB PRAESIDIO CL. V. MARCI ZUERII BOXHORNII.
 RESPONDENTE ORNATISSIMO JUVENE, JOANNE ERPENIO, THOMAE F.

E3_26 v.1 Romule, quid tandem ? Te tellus Itala nuper
 2 Principis exemplar censuit esse Boni.
 3 Sed male balbutit, Romanoque abstinet ore :
 4 nec fuit Hersiliae cognitus ille suae.
 5 Subdola quin etiam Dentrem persona fefellit ;
 6 denique (si memini), Romule, nullus eras.
 7 Oblita Malvezzi corruptae plasmate linguae
 8 omnia, ceu Capreae mersa palude forent.
 9 Aggreditur prohibere nefas Boxhornius acer :
 10 imperium e Fastis adstruit ille suis.
 11 Singula conspicuis rerum momenta tabellis,
 12 et quo Res debet Publica more geri,
 13 Erpenium media docuit resonare palaestra.
 14 Ore favete omnes : nunc redivivus adest
 15 ille ferox sapiensque et primus in ordine regum,
 16 cui patre Marte sato Silvia mater erat.
 17 Sed dubia haec forsans suspectaque fabula vulgi,
 18 Romuleaeque casae non adhibenda fides.
 19 Exspectate. Fides templo Statoris in illo est :
 20 in Marco Roma est, jam fugitiva, meo.
 21 Communi favet ille Bono : jam Faustulus altor
 22 verus adest, cathedrae gloria summa suae.
 23 Formet ut ingenia et firmet, dulcedine linguae
 24 allicit, et quosvis in sua jura trahit.
 25 Atque aperit Leydae mentis melioris asyllum :
 26 ad quod Musarum convolet omnis amans,
 27 et quicumque Boni. Spirantia pectora Phoebum
 28 exigit : his hodie nata palaestra patet.
 29 Romule, si, non quod fueras, nunc incipis esse,
 30 jam sobolesmarci, non (puto) Martis eris.

IN DISPUTATIONEM DE L. TARQUINII PRISCI PRINCIPATU.
 PRAESIDE MARCO ZUERIO BOXHORNIO. RESPONDENTE JOANNE MEERMANNIO.

E3_27 v.1 Heu, qualem quantumque virum promiserat Ancus !
 2 Quid non facturus, si licuisset, erat !
 3 Pro dolor ! Octava querimur trieteride raptum,
 4 et regem regni dememinisse sui.
 5 Cura coquit Patres Plebemque, quis aptus habenis,
 6 quique Anco digne sufficiendus erit.
 7 Natorumne alter ? Vix puberis attigit annos :
 8 transit ad haeredes nec domus ista suos.
 9 Indignusne sacrum qui flatu accenderet ignem ?
 10 Non ita : ne magnae despiciantur opes.

11 Prodigium visu mirabile, Romule, specta :
 12 de nihilo non est, quod Jovis ales agit.
 13 Viderat ut Tanaquil peregrino rapta marito
 14 pilea, et intectis illa relata comis ;
 15 portendi regnum non immemor artis Etruscae
 16 suasit, et eventum jussit habere bonum.
 17 Tempora jam tutor Regi putat apta creando,
 18 ad Capitolinum cum via facta Jovem :
 19 cum Patres Populumque sibi devinxerat omnem,
 20 emptaque divitiis vota secunda suis.
 21 "Venatum, dixit, pueri, nunc ocus ite :
 22 pinguius Imperium, quod mihi venor, erit.
 23 Nunc licet ediscas totam referasque Corinthon ;
 24 perdidicit ritus ille, Quirine, tuos.
 25 Advena quot secum, quot ab Anco transtulit artes !
 26 Collatum a vafra quid Tanaquile putas ?
 27 Patribus adjectis, florem libasse Senati
 28 credideris : falso ; factio Regis erat.
 29 Adversum insidias haec Curia pugnat, et arcet,
 30 haec semper domino fida, columna suo.
 31 Hinc praeda exuti nuper cecidere Latini ;
 32 Tarquinius Appiolae vi subiere jugum.
 33 Quos Circo includat viden' ille Corinthius hospes,
 34 dum vocat ad ludos agmina tota suos.
 35 Magnum operae pretium circenses edere pyctas ;
 36 prodestque, auguriis non prohibere fidem.
 37 Promptius obsequium, prolataque protinus arma ;
 38 itur in excidium, torve Sabine, tuum.
 39 Cur Urbi murum ter perfidus invidet hostis ?
 40 "Faxo, ait, haud coeptum mox mihi turbet opus.
 41 Amplexura novos Collatia dedita falces,
 42 et meus, aut nulla mente, Latinus erit.
 43 Deque triumphatis nova gloria surget Etruscis :
 44 sic pax certa solo, pax quoque certa salo."
 45 Indignare Anci soboles successibus istis ;
 46 quo fit, ut ante diem Rex tibi, Roma, cadat.
 47 Sed non ipsa cadis. Servat Boxhornius Urbem :
 48 et nunc Meermanno conciliante places.
 49 Roma, dolere potes sublato Principe : tantis
 50 vindicibus numquam, Roma, perire potes.

GENETHLIACUM IN AUGURALE OBLATUM DO. QUIRINO A STRYEN
 JUNCTO CUM JOANNES A STRYEN, FILIUS, J. V. DOCTORIS TITULOS
 CONSEQUERETUR.

E3_28 v.1 Qua vetus Haga jacet, Gulielmi Caesaris aula,
 2 auctaque post gemino juridicina tholo ;
 3 qua quoque Caesareo descendens sanguine Princeps
 4 admittit summos ad sua verba Duces ;
 5 et septem coeunt Batavorum in foedere gentes,
 6 jampridem culto lacte meroque die,
 7 nascitur egregiae puer indolis, aedibus illis,
 8 limina quas multo multo trita cliente notant.
 9 Haec domus, haec patria est famam sitientis ephebi,
 10 ipso cui licuit fonte levare sitim :
 11 facundo licuit cui sernper adesse Quirino,

12 patremque a cunis consuluisse suis.
 13 Annua transierat puls, et genialia liba,
 14 protinus ad libros jam struit ille gradum.
 15 Non placet ampla domus, tegitur quae marmore et auro :
 16 sola placet libris Bibliotheca suis.
 17 Accursi glossas inter Baldumque Cynumque,
 18 inter et azones prima juvena sedet.
 19 Reptanti hic puero requies. Sed, nonne parentem
 20 multivolas credis sustinuisse manus ?
 21 Sustinuit : monitis sed non avertitur ullis,
 22 et sibi praereptum jam dolet esse librum.
 23 Quid facis, o nutrix ? Sistro sedare dolorem,
 24 stultaque libripetam vis cohibere manum ?
 25 Sic tibi qui collo plorator vernula pendet,
 26 vix irae poterit dememinisse suae.
 27 In foliis mens est : sistri nil proficit usus,
 28 aera nec hic quidquam garrula mota juvant,
 29 pro crepitacillo liber est. Concede volenti,
 30 mi pater, haud alias postulat ille nuces.
 31 Discis ab infantis vagitu, et murmure blaeso,
 32 filiolum studiis velle vacare tuis.
 33 Omina sunt aliquid, mensque est praesaga futuri :
 34 eximiis nolit fratribus esse minor ;
 35 qui fora Cattigenum summa cum laude frequentant,
 36 justaque prolatis otia rebus amant.
 37 Te quoque Patroni per quinque decennia functum
 38 munere, magne pater, vult (puto) et ipse sequi,
 39 Principis Auraici Consum, vel Nestora. Laus haec,
 40 debitaque emerito praeternia danda seni.
 41 Quid minus esse potest ? Hac spe librarius infans,
 42 quem tulit in sacras impetus iste deas,
 43 hinc ad Grammaticam, doctique Palaemonis artes,
 44 et demum ad flores, Quintiliane, tuos,
 45 mittitur in ludum, fervetque domesticus ardor,
 46 et nucibus positus "Arma virumque" legit.
 47 Mox rude donatum Leidae celeberrima Pallas
 48 excipit, et Themidi consecrat alma suae.
 49 Alma Themis ! tibi nota fides, vigilantia nota,
 50 queis pater et fratres dotibus astra petunt.
 51 Indociles (sollemne aliis) obtrudere palpum :
 52 regia prae reliquis queis via sola placet.
 53 Nec metus, aut Cajam (Di, talem avertite pestem !)
 54 Lucripetas quisquam credat habere manus.
 55 Non opus hac monitrice, cui sincera voluntas ;
 56 edicti reverens qui Dea justa tui ;
 57 qui Recti legumque tenax, ad munera caecus.
 58 Juppiter ! ut donorum omne genus pereat,
 59 acceptorque datorque simul ! Te vindice, Cajus
 60 integer, et nulla labe notandus erit.
 61 Qualis ab ingenua descendens stirpe Quirinus,
 62 quosque Quirinales cernis habere togas.
 63 Haec habeat cum gente sua communia noster,
 64 quem fovit gremio maxima Leida suo,
 65 et nunc, imposito studiis colophone, remittit :
 66 accipe patronum, nobilis Haga, tuum.
 67 Miremur juveni conferri insignia Juris,
 68 cui puero in manibus Baldus, et Azo fuit !

CAUTELA, AD JOANNEM A STRYEN,
CUM PROLIXUM CARMEN IN EJUS INAUGURATIONEM SCIPSISSET.

E3_29 v.1 Nec cenare volo, nec florem haurire Lyaei,
2 aut de Rhenano pocula prompta cado.
3 Ostrea non venor, stomachoque adversa senili
4 fercula : sic constent vilis ista patri.
5 Nec pretium cupio preli, pretiumque labori ;
6 chartaque vel toto non onerosa tomo.
7 Inter cenipetas nihilominus esse videbor.
8 Malim hoc, quam laudes dissimulare tuas.

AD QUIRINUM À STRYEN. J.C.
CUM POST IN AUGURALEM DISPUTATIONEM
DE NUPTIIS SECUNDIS FILIUS EJUS WILHELMUS A STRYEN

E3_30 v.1 Poscimus antistes celeberrime juris, et aequi,
2 si joca ferre potes, protinus ista lege.
3 Dum vacat, haec vestris spargantur dicta coronis,
4 qualia laurigeri saepe tulere duces.
5 Consuevere sales Romani ferre triumpho ;
6 materiam patriae nec pudet esse patrem.
7 Da veniam, censor, si ludicra carmina fundam :
8 censura poterunt non prohibente legi.
9 Indulges, fecunde pater, nec fronte severa
10 detrahis innocuis et sine felle jocos.
11 En, cum facundum te curia tota salutet,
12 fecundum dixi : nec minus inde leges.
13 Improbis Romae si vivat conjuge ducta,
14 postulet a terrae praeside jura patris.
15 At tibi, quem conjunx numerosa prole parentem
16 reddidit, atque ipsos Jura paterna doces ;
17 supplice non opus est dominum lassare libello,
18 natorum possis ut pater esse trium :
19 undena jam prole pater. Res digna sepulchri
20 carmine. Sed, Lachesis, non nisi sera veni.
21 Defuit haud nostro nervi vis illa Quirino,
22 qua sine fundari non potuere lares.
23 Qua sine, non Themidis cultor Cornelius esset :
24 non alia Hagano pectora nota foro.
25 Non dulces natae : nec quam sibi Masthius optet,
26 quem generum votis Dii tribuere tuis.
27 Non quas speret amans : in quarum frontibus acer
28 excubat, et mittit tela protervus Amor.
29 Non quem secretis Batavorum curia rebus
30 praeficeret. Sine qua, non tibi triga foret ;
31 non tres causidici, non qui tibi quartus in illo
32 ordine censetur, jamque legendus adest.
33 Sic patrios et fraternos Gulielmus honores
34 involat, et tantis se putat esse parem.
35 Applaudit genitor studio surgentis ephebi :
36 nos quoque, si quod in hoc carmine pondus erit.
37 Et licet incompte venturo tradimus aevo
38 quinque Quirinales, sed sine labe, togas.
39 Ipse pater celebris, laudataque pignora nati

40 quattuor. Haec aliis sit domus : aula mihi est.
 41 Cum primum quateret sua Barneveldius arma,
 42 et caneret medio verba diserta foro ;
 43 rarus erat tota Veri patronus in aula,
 44 qui componendis litibus arma gerat.
 45 Pauperiem hanc aliquis volet incusare malignus,
 46 et dicet, Batava crassius aure nihil.
 47 At mihi tempestas niveo signanda lapillo,
 48 et pariter fastis annumeranda meis.
 49 Tunc etiam rarae lites, tunc jurgia rara,
 50 parvaeque, sed tritae praemia certa togae.
 51 Aurea tum vere fulserunt saecula Belgis :
 52 post, lites tetricam conseruere manum.
 53 Ex opibus natis examina nata malorum ;
 54 quilibet ad raptus ingeniosus erat.
 55 Cur ego non alio sum tempore missus in orbem ?
 56 Cur ea me tricis implicat hydra suis ?
 57 Quisque quietis amans non nasci hoc debuit aevo.
 58 Debit an nasci quisque quietis amans ?
 59 Erravi ; Batavis tunc lux exorta Camenis,
 60 tunc primum pulcher coepit Apollo coli.
 61 Litibus oppositum, Mauro fugiente, Lycaeum ;
 62 ad veterum leges tum patefacta via est :
 63 auspiciis Dousae, cui Musae ante omnia dulces.
 64 Hunc sequar, et ductis ex Helicone deis
 65 sedulus assistam. Te, te sequor, optime Dousa.
 66 Quid cum litigiis pragmaticisque mihi ?
 67 Quorsum divitiae, si non cum pace fruamur ?
 68 Quorsum etiam, si sit litigiosus, ager ?
 69 Quid domus ampla juvat, caeloque minantia tecta,
 70 stillicidi si mox quaestio, si sit aquae ?
 71 Jam turbat vicinus Aper : jam pariete structo
 72 luminibus petulans officit Hispo meis.
 73 Quid ! Vitreas frangit pannucea turba fenestras,
 74 atque ait haec causa Relligionis agi.
 75 Felix, conductis qui degit in aedibus hospes !
 76 Cum populo (ut nunc res) qui sapit, ille sapit.
 77 Conjuge si viduer, meaque Anna Volumnia fatis
 78 concedat, (tantum Di prohibete nefas !)
 79 Dic, pater, an thalamos ausim sperare secundos,
 80 imperet et natis dura noverca meis :
 81 atque aviam immitem qui mox nascetur ab illis
 82 sentiat, et fatui labe notetur avus ?
 83 Emeritus miles nunc rebus inutilis illis :
 84 sique velim ; frigus duplicat uxor anus.
 85 Tempora subrepunt, quibus et deludia poscat
 86 praeditus Herculeo robore quisquis erit.
 87 Scire velim, post tale decus, generose Quirine,
 88 nunc ubi sint venae pondera tanta tuae !
 89 Nil mihi respondes ? Masuri si sacra movebo ;
 90 mellea vox, pennis ceu foret apta, volat.
 91 Consultumne igitur viduae, si pluribus addar ?
 92 (Ante obitum Cajae sit, precor, illa dies !)
 93 Non rubrica vetat, sed sexagesima messis,
 94 damnaque quae secum fert iteratus Hymen.
 95 Denique tot lites, tot votis juncta secundis
 96 taedia, Caesarea cognita lege, vetant.
 97 Omnia quae docto Gulielmus disserit ore,

98 et simul ingenii semina dia tui.
 99 Nec libertatis, solemni more, negantur
 100 pilea, promeritas circuitura comas.
 101 Ille maritali nunc subdere colla capistro,
 102 si volet, et juveni est lecta puella, potest.
 103 Nos aetate graves linguis animisque favemus,
 104 et satis, hic pigro si licet esse mihi.
 105 Sufficit in versu (licet arguar) esse faceto :
 106 sic ego fortunae taedia fallo meae,
 107 abditus in villa, librisque sepultus in ipsis,
 108 jam Lugdunensi factus in urbe senex.
 109 Carmina sint otii testes, vitaeque serenae,
 110 et merces, tuus, o culte Quirine, favor.
 111 Obveniat si trico, tuam properemus ad aulam ;
 112 quodque domi est, quaeram ne sine mente foris.
 113 Ausonio certe res admiranda Quirino,
 114 'causidicos unam quinque tulisse domum'.

EXCUSATIO

CARMINIS POST INAUGURATIONEM WILHELMI A STRYEN, J. C. EDITI.

E3_31 v.1 Diximus undecima scribi veracius hora
 2 carmen, et invenit nostra Thalia fidem.
 3 Saepius haec falsi nonanos hora poetas
 4 arguit, et causa prima pericla cadunt.
 5 Ridenturque ambo : pedibus qui venerat albis
 6 et qui cretatos ferret in astra pedes.
 7 Figuntur doctis animosa pericula valvis,
 8 spargitur impressis plurima charta notis.
 9 Jamque dies promissus adest : concurrimus omnes ;
 10 pulpita pressa suo pondere, scamna suo.
 11 Mox ubi in antitheses ruit ipsi incognitus auctor,
 12 (nam de compacto rem quoque scimus agi),
 13 tunc ubi respondens ? Statua taciturnior exit,
 14 et facit e summo pegmate verba Deus.
 15 Sic nostras imitatus aves natat editus ovo,
 16 et male disruptis pellibus astra petit.
 17 Deridetur anas, nec vel gringitibus anser
 18 auditur medio bestia muta foro.
 19 Non ita sit semper, ne tu sollemnia credas ;
 20 fit tamen, et frontem non habuisse putes.
 21 Hinc ego conceptas non ausim promere laudes,
 22 nostrarque in indignum mittereserta caput.
 23 Quamquam hic non dubitem, metuamve in stirpe Quirini,
 24 da veniam, nondum venerat hora mea.
 25 Audita undecima est : nunc, nunc properate libelli ;
 26 laudato juvenis fine peregit opus.
 27 Denique non calices hunc excivere poetam.
 28 Ut potem, scribam carmina ? Malo sitim.

WILHELMO QUIRINO SUO,
 IN ORDINEM JURECONSULTORUM RECENS COOPTATO.

E3_32 v.1 Hactenus impensos numeras tres legibus annos :
 2 Pandectae, Codex, singula nota tibi.
 3 Nota magis nulli. Quid mirum ? Agnata Quirino

4 omnia, quae tanti nominis omen alit.
 5 Indixitque suas Maestertius impiger horas,
 6 ut nihil ex omni perdere luce velis ;
 7 instar apis volitans, carpensque volumina Juris :
 8 sic tamen, ut studiis sit data pausa tuis.
 9 Jamque fatigatis si qua consederis alis,
 10 proruis, ingenii quo rapit aura tui.
 11 Proruis ad Musas ; dulces ante omnia Musae,
 12 plectraque Dousaea ter repetita chely.
 13 Diligitur positis quaedam oblectatio rixis ;
 14 et vacui soles, non sine fruge tamen :
 15 otia non ignava tibi, non torpor amatur.
 16 Vita (notent Momi) tota pigrore vacat.
 17 Otia si culpem, tua docta negotia culpem.
 18 Quis non prolatis otia rebus amet ?
 19 Sed Themis interdum est, interdum cultus Apollo ;
 20 at bene, si cultu sub potiore Themis.
 21 Non semper certe (namque hoc fateare necessum)
 22 juris in Oceano nauta Quirinus erat.
 23 Haud piguit doctas hausisse fideliter artes ;
 24 nec tibi neglectus Naso poeta fuit.
 25 Implevit bibulas numerosus Horatius aures,
 26 et cui perpetuo lucet ab igne focus.
 27 Ut consummatos numeras in jure magistras,
 28 sic etiam in versu quos imiteris habes.
 29 Quid ! quod non temere tentatam Aeneida juret,
 30 cui Serooskerki fit modo lectus Hymen.
 31 Sic decet imprimis vacuum decidere tempus,
 32 quodque alii perdunt, esse putare suum.
 33 Atque ubi tempestas quandoque poetica surgit,
 34 tota invitanti pandere vela Noto.
 35 Et studiis venia est, animisque remissio danda,
 36 ac miscenda suis seria quaeque jocis.
 37 Hinc lectus toties in Palladis, aede Quirinus,
 38 praelaque tot numeris irrequieta tuis.
 39 Non tamen ut potes, aut Bacchanalia cures,
 40 nil commune Pholo cum sitiante tibi.
 41 Non bene res agitur comissatore poeta,
 42 in spem Rhenani qui canit ista cadit.
 43 Insidias, non dona leges, conchylia, sumen,
 44 et totam fallax devorat hamus ovem.
 45 Nomine quo vates me perstrinxisse recordor,
 46 (ut res festivo digna lepore fuit)
 47 qui cupidicoeni nimium bibulique fuissent,
 48 et qui vix alio fine poema darent.
 49 Dicebam falli nonanos saepe poetas,
 50 et quibus ambiguo pulvere sudat equus.
 51 Dicebam, undecima verissima carmina nasci,
 52 verbaque per jugulum non reditura suum.
 53 Ah, quoties vani Pallas mendacia plectri
 54 reppulit, iratis increpuitque comis !
 55 Haec detestantis sententia publica vatis :
 56 ipse nec edicti dememinisse potes.
 57 Necdum ejuratam disces hoc indice bilem :
 58 nona nec ad versus hora vocanda meos.
 59 Non ego ad explosum praeceps juvenile reversus
 60 dicar ad insani prandia regis agi.
 61 His trahar ? Et palpo pulpam quaesisse videbor,

62 crustula vel numeris promeruisse meis ;
63 sumina non tanti : Rutupina nec ostrea tanti,
64 quamquam fastoso sint pretiosa garo ;
65 fontificumve dapes. Alius venetur aprugnam :
66 me vocet ad cenam Juppiter ipse, negem.
67 Caecuba ponantur, Setinaque mixta Falernis,
68 non facit ad mores ulla, lagena meos.
69 Scilicet haec saturo merces, ut amystide pugnet ;
70 aut fors cum Lapithis scordala bella gerat !
71 Rex dominusque sui parvos abstemius hortos
72 excolat, ad Vlietae lene strepentis aquas.
73 Fingat Hiantaeas et amoenae Phocidis undas,
74 Pegasei ductas et pede credat equi.
75 Praeferat his tingi quam flore madere Lyaei,
76 et trahere obliquos cum Corybante pedes ;
77 quam pasci fumis, olidumque haurire tabacum,
78 et sputo nitidum commaculare focum.
79 Malim equidem, malim redolentia pectora Phoebum :
80 malim communi pectora nata Bono.
81 Accedant docti (non futile vulgus) amici :
82 cum Phryge, cum bardo quid Lucumone mihi ?
83 Audiatur exacta me sedulus aure Quirinus.
84 Ad laudes venias, culte Quirine, tuas.
85 Woelwicum, mea regna, vides : vitemus et illas.
86 Quas secum maculas urbs salebrosa trahit.
87 Heu quod, quae nescis, o fortunate Licete,
88 occurrant oculis horrida monstra tuis.
89 Obvia pro nostris, in Palladis obvia templis ;
90 obvia, sublestam qua colit umbra fidem.
91 Quaeque ovis lustranda forent et sulphure vivo,
92 sed ne quaere foris, sunt propiora domi.
93 Estque quod in medio possis horrere Lycaeo,
94 quum mea sint miris prodigiosa modis.
95 Nempe hoc consilium visum illaetabile monstrum,
96 Herculeas potuit quod decuisse manus.
97 Tu tamen observas, nec cenam aut vina, Quirine,
98 mercedem Musae poscis amice tuae.
99 Non opus hic aliquo castigatore Catone,
100 quique modum matulae jam velit esse tuae.
101 Esto modus calamo potius, modus esto calori :
102 unaque prae cunctis sit tibi cara Themis.
103 Carmina quid scribas nullos referentia nummos,
104 carmina Bilbilici stigmatate digna joci ?
105 Ut novus exurgas mulino corde Vagellus
106 scilicet ? Aut credant cor bovis esse tibi ?
107 Sic aliquis lepidi versum recitabit Iberi,
108 sic aliquis cupiet cum Juvenale loqui.
109 Tu, vide ut in patrio seminaufragus aequore nauta
110 quassatam longe non sinit ire ratem ;
111 colligit errantes tabulas, reficitque phaselum,
112 rursus et Occanas cum trabe findit aquas.
113 Rursus et in ponto (sua nam pellacia ponto est)
114 in ponto amissas quaerit avarus opes.
115 Sic tibi, si damnum circa mare contigit ullum,
116 juris in Oceano, quo medearis, erit.
117 Sed nocuisse nihil quantumvis aemula plectra,
118 immo aliquod Clarias pondus habere deas,
119 adprobat eventus. "Feliciter Urna virorum

120 quattuor, assensum testificata suum",
 121 dixit, et imposuit capiti velamen honoris,
 122 aequaque virtuti praemia ; Doctor ades.
 123 Auctoramentum pariter Cathedraeque Forique
 124 ad patrios referes, aucte Quirine, lares.

IN LAUDICAENOS POETAS,
 CUM WILHELMUS QUIRINUS J.C. RENUNCIARETUR.

E3_33 v.1 Cum bene re gesta, templo succedit Honoris,
 2 tritaque Virtutis limina, fama refert :
 3 cur desunt Vates onerosaque turba Quirino,
 4 et patitur solam se mea Musa legi ?
 5 Non epulas, non ille dapes instruxit opimas ;
 6 Rhenani longe non oluere cadi.
 7 Sic cupidicenos, bibulos sic ille poetas
 8 sobrius a Sacris jussit abire suis.

JOANNI ERPENIO V. CL THOMAE FILIO, JOANNIS BUYESII NEPOTI,
 CUM LUGD. BAT. IN ACADEM. PATRIA JURISCONSULTORUM ORDINI INSERERETUR.

E3_34 v.1 Qui patris Erpeni, fama super aethera noti,
 2 flebilibus cecini tristia fata modis ;
 3 debebam nato, nitenti ad summa, Joanni ;
 4 (sic mihi det Musis otia tota suis !)
 5 Debebam Nato, veterem qui reddat amicum,
 6 carmen, et in meritas mittere sarta comas ;
 7 debebam versus hilares, paeanaque laetum,
 8 ne semper Manes exsequiasque legat.
 9 Sed quare undecimam stupidi exspectavimus horam ?
 10 Illa quidem numeris aptior hora meis.
 11 Vidimus, hei ! falli nonanos saepe poetas,
 12 cum cecidit causa, qui modo victor erat.
 13 Non metus hic, ut nona datos luat hora triumphos :
 14 Erpeni hoc virtus ingeniumque vetat.
 15 Jam scio, honorato digitos circumligat auro,
 16 et libertatis pilea sumpta decent.
 17 Cur here non scripsti, cum praemia certa putares ?
 18 Ut fatear, nullus favit Apollo mihi.
 19 Nunc quoque Scriverium quia destituere Camenae,
 20 Bohorni exemplo, disticha pauca leges.

VOTUM.

21 Non caras arabum gazas cum patre secutus,
 22 sed magno sollers exstimulatus avo,
 23 ad Pallatinam juvenis se praeparat Hagam,
 24 aemula Buyeso qui modo corda gerit.
 25 Prosit ! Et ut palmas oriens a patre recepit ;
 26 sic moriens isto vivat in ore themis.

JACOBO PILIO SUO
 JURECONSULTO IN AURELIANENSI ACADEMIA RENUNCIATO.

E3_35 v.1 Cur Allobrogicis, Pili, tibi quaeritur oris,

2 et placet Hectoreo lecta corona jugo ?
 3 Estne quod in crassa tibi displicet aure Batava ?
 4 Atque alibi artifices fandi habitare putas ?
 5 Jam Lugdunensis decrerat pilia Pallas,
 6 pilia Martinum quae decuere tuum.
 7 Beverus adsuadet : dissuadet at anxia mater,
 8 (quid non cogit amor ?) nec prohibere cupit.
 9 Te juvat externos titulis superaddere mores ;
 10 et tandem Gallo castius ore loqui.

ALLUSIO AD NOMEN PILLII

E3_36 v.1 Fortiter adversum pilum cum torquet in hostem
 2 Pilius, a pilo nomen habere potest.
 3 Non certe a Pilio (quamquam sapientia cordi)
 4 Nestore, nec longis fama petenda pilis.
 5 Nunc quia docturo largitur Pilia Gallus,
 6 verius hinc forsitan nomen et omen erit.

JOHANNI BODAEO A STAPEL, MEDICINAE DOCTORI PUBLICE RENUNTIATO,
 AD CL. V. EGBERTUM BODAEUM MEDICUM AMSTELEREDAMENSEM.

E3_37 v.1 Quamquam alio, Bodaeae, trahor retrahorque poeta,
 2 lissaque pro sancto nunc Helicone datur.
 3 Diluviem oppositus qua finibus arceat agger,
 4 ille mea et socium refficiendus ope.
 5 Quamquam, inquam, studium scribendi sustulit omne,
 6 et procul Aonias jussit abire deas,
 7 lux infausta, meis non responsura Camenis :
 8 (heu, perdant istam dique deaeque diem !)
 9 Attamen incendor, rapiorque ad pristina nostra
 10 ludicra : sunt nato carmina danda tuo.
 11 Da, puer, huc citharam, laurumque in tempora mitte.
 12 Poscor : me natus, me rogat ipse pater.
 13 Absolvit ne igitur studiorum junior orbem
 14 Bodaeus, docta praemia fronte petens ?
 15 Nondum pictus adhuc tenera lanugine malas,
 16 forte quater senis messibus ille minor !
 17 Miratur studiosa cohors, et doctior ordo ;
 18 miratur Phoebi quisquis in arte valet.
 19 Si videas hominem, videas nil praeter ephebum ;
 20 ingenium audieris, dixeris esse senem.
 21 Quantum cura potest, patriaeque industria Musae !
 22 A teneris quantum est excoluisse deas !
 23 Herbarum vires, gnavo instillante parente,
 24 hauserat excelso jam puer ore domi.
 25 Exceptit juvenem mox Lugdunense Lycaem ;
 26 hic magnas animas, vix minor ipse, colit.
 27 Hic dium Hippocratem, consummarumque Galenum
 28 explicat, haud steriles passus abire dies.
 29 Jamque nihil restat, nisi tanto digna labore
 30 praemia : jam meritas cinge, age, Leyda, comas.
 31 Urbs spatiosa jacet, totum vulgata per orbem,
 32 hinc spectans undam fluminis, inde maris.
 33 Qua liquor Amstellae salso miscetur Iaeo,
 34 moeniaque Oceanis non prohibentur aquis.

35 Hic medicinam aegris facere, atque avertere morbos
 36 destinat, et patrios arte fovere Lares.
 37 Ipse sui pater in partem succedere regni
 88 optat, ut evincat vis geminata malum.
 39 Nunc video iratae Lachesi sua fila reneri,
 40 et maestum vacua puppe Charonta queri.
 41 Morborum omne genus, diramque facessere pestem.
 42 Quae modo Mortis erant, regna Salutis erunt.
 43 O ita, Phoebe, velis ! Atque hoc caput adsere mundo ;
 44 Parcarum exoret pensa, brevesque colos.
 45 Peleos, et Priami, vel seros Nestoris annos
 46 transeat ; et patriae commoda longa ferat.
 47 Hoc rarae dotes, niveique a pectore mores
 48 pro me sollicitant. O ita, Phoebe, velis !
 49 Ut jugulet, non hic in luminis exiit oras ;
 50 ut servet cives, unica cura, suos.
 51 Bella gerant alii caros habitura triumphos,
 52 statura et multo sanguine praeda juvet.
 53 Proque focis arisque famem patiantur, et imbrem
 44 sulphuris : heu ! dubio Marte paratur honos.
 55 Sitque licet pulchrum, pugnando occumbere mortem ;
 56 certior hic laus et sanguinolenta minus.
 57 Non litui obtundunt aures, non tympana turbant ;
 58 injiciunt nullum classica rauca metum.
 59 Non queritur victos, caeso custode, Penates ;
 60 jurgantes procerum nescius esse deas.
 61 Absentem non quaerit aquam, nec casside potat ;
 62 innocuam sacro proluit amne sitim.
 63 Ambrosium toto diffundit pectore nectar,
 64 doctaque Hyanteis ora rigantur aquis.
 65 Sed quia fesla dies, niveoque notanda lapillo,
 66 qua deceant natum pilea sumpta tuum ;
 67 quid, Bodaeae, vetat nos libertate Decembri,
 68 (mense licet Maio) laetitiaque frui ?
 69 Hoc prisca sanxere patres, et cana vetustas ;
 70 et caput exsparsis implicuere rosis.
 71 Injice sarta comis. Baccho placuisse coronam,
 72 ex Ariadnaeo fidere nosse potes.
 73 Pocula siccentur dulci rorantia Baccho ;
 74 accipe Rhenanis cymbia plena cadis.
 75 Post obitum non ulla tibi carchesia ponet
 76 Aeacus : infernis non viret uva jugis.
 77 Ille sapit sane qui curis gaudia miscet :
 78 gaudia qui differt, barbarus ille mihi.
 79 Dum licet, ergo diem falle, o liberrime doctor,
 80 falle diem : mediis mors venit atra jocis.

EXCUSATIO CARMINIS RUSTICI AD CASPARUM BARLAEUM, I. BODAEI HOSPITEM.

E3_38 v.1 Agricolae versus non (ut sunt tempora) vatis,
 2 carminaque in media nata palude legis.
 3 Aut haec tardipedi Veneris tradenda marito ;
 4 aut, Barlaee, suis digna putabis aquis.
 5 Sed genius lectis si forte videtur in urbe
 6 deesse ; placere queant, si quoque rure legas.

LUCAE HOLSTEINIO SUO, IN ITALIAM PROFECTURO.

E3_39 v.1 Ausoniam visure, vale, suavissime Luca ;
 2 carus eram, memini : nunc tibi Roma prior.
 3 Et septemgeminos ardes cognoscere colles.
 4 I, licet ; et funus tu mihi triste vide.
 5 Ipse loci genius, tutelaque desiit esse.
 6 Invenies votis cuncta minora tuis.
 7 Non ibi Naso tener, doctique Propertius oris,
 8 non Calaber vates, non Maro grandis erit.
 9 Tullius (hei) nusquam, tot cedro digna locutus,
 10 nusquam Trajani qui placuere foro.
 11 Nusquam deliciae populi, fora, balnea, circi.
 12 Obruta sunt saxis amphitheatra suis.
 13 Invenies nusquam geminata mole Colossos,
 14 addita nec Latio Flavia templa polo.
 15 Quid cum porticibus Janos, delubraque mille
 16 in cineres belli turbine missa querar ?
 17 Plorabis laceras aedes et numine cassas,
 18 plorabis lippos dimidiosque deos.
 19 Non Capitolina veneratur Juppiter arce,
 20 fulmina Tarpeio sunt modo lapsa patri.
 21 Miratus dices : "Ubi nunc es, maxima Roma ?
 22 Hei mihi ! vix tanti nominis umbra jaces."
 23 Et solum superest, in Roma quaerere Romam.
 24 Omnis et in sterili vita labore perit.
 25 Hoc tamen hic disces, hominum genus esse caducum,
 26 cum videas ipsos sic cecidisse deos.
 27 Et licet hoc addas : "Ubi nunc est illa priorum
 28 simplicitas, virtus, ingenuusque pudor ?"
 29 Concidit (ah !) longo violatus Juppiter aevo,
 30 Iliacusque sua vivit in urbe puer.
 31 Effudit, fecunda lupas lupa sanguinis altrix,
 32 inque domo Vestae spurca Lycisca sedet.
 33 Roma vetus nusquam ; turbata sed ordine toto,
 34 quae pia Roma fuit, fit male sanus Amor.

THEODORO VALLENSI, MAGNI MEDICI MAGNO FILIO,
 POST DISPUTATIONEM DE PERIPNEUMONIA LAUDABILITER PARACTAM,
 APOLLINARI LAUREA DONANDO.

E3_40 v.1 Si quis Apollinea discedere cogitet urbe,
 2 et volet ingenii prodere signa sui :
 3 si quis et ad palmam summosque adspiret honores,
 4 Scaevola sive tuos, sive Galene tuos :
 5 protinus advolitant vates, onerosaque turba,
 6 ad palpum et pulpam docta, petaxque meri.
 7 Ah quoties vani Pallas mendacia plectri,
 8 ridet, et iratis personat icta comis.
 9 Ante actum multi, post actum carmina pauci
 10 concipiunt ; hinc sit laus data saepe minor.
 11 Non bene res agitur comessatore poeta,
 12 in spem Rhenani qui canit illa cadi.
 13 Insidias, non dona leges, ubi prandia spectant,
 14 et totam fallax devorat hamus ovem ;
 15 scribitur undecima carmen veracius hora,
 16 laudatamque solet fallere nona fidem.

17 Hinc tibi, Valensis, (quis enim tua praemia celet ?)
 18 Inter adorantes hoc schediasma damus ;
 19 dum jam de victo feliciter hoste triumphas,
 20 dumque favet studiis doctior Ordo tuis.
 21 Dum capiti (solemne) tuo Screvelius aptat
 22 pilea, et a Coe sacra petita sene.
 23 Ipse favet genitor, gaudetque, timetque favendo,
 24 obscuret titulos ne tua fama suos.
 25 Quidquid erit damni, nihil est ; dum Principe salvo
 26 discat Iber leges, torve Batave, tuas.

FISTULA PASTORITIA, SIVE REDEUNTIS EX AGRO IN URBEM ELEGIA.

E3_41 v.1 Diximus undecima scribi veracius hora
 2 carmen, et invenit nostra Thalia fidem.
 3 Saepius haec falsi nonanos hora poetas
 4 arguit, et causa prima pericla cadunt.
 5 Huc tamen, huc vatam, tamquam ad vivaria pisces,
 6 turba ruit plectris ambitiosa suis ;
 7 insidias, non dona ferens : convivium captat,
 8 captat Germano condita vina cado.
 9 Et quo spes major, quo pinguior aura culinae.
 10 Advolat ad Bacchi munera, Rhene, tui.
 11 Hoc carbone rudi quofdam censura notavit.
 12 Docta in adulantum stringere tela gregem.
 13 Non tulit insignis, sed adactus verbere Momi,
 14 aut Phlegetontis exagitatus aquis,
 15 cultor Apollinae, ceu tactus fulmine, Cyrrhae.
 16 Quid facit ? Heu, sprete religione ferox,
 17 non ter in amne suos mersit, de more, capillos ;
 18 aut sibi Pegasio fonte petivit aquam ;
 19 turpe, sed indomito percussus tempora Baccho,
 20 ructavit medio carmina cruda foro.
 21 Fumosa potasse tropin de faece lagenae
 22 creditur, aut Corsi toxica saeva cadi.
 23 Non sanus tunc, non sic vel sobrius umquam
 24 dimicet, insulsis stete cadatve modis.
 25 Objicit innocuos, rurestria numina, Faunos :
 26 et quod amoena mihi villa sub urbe, dolet.
 27 Arctoo veniens dolet Hogerbeetsius axe,
 28 compellens Siculas ceu Polyphemus oves.
 29 Scilicet horrendum concussa Batavia monstrum
 30 edidit : in fraudem, Martie Belga, tuam.
 31 Quidquid id est, quoniam Delphis oracula cessant,
 32 Spartana patiens nobilitate feram.
 33 Sudantesque colam venerando pondere fratres,
 34 cum mirata vagas reppulit Aetna faces.
 35 Quis mihi nunc demens recitetve sonetve trecenta ?
 36 Dedidici, ut mulctae non meminisse queam.
 37 Auctoramentum grave purpura : judicat urna,
 38 scriptorem calami non habuisse modum.
 39 Ad Libertatis, memores mussate Camenae ;
 40 flete nec Aoniis pilea rapta comis.
 41 Libertas colitur, sed nulla licentia templo ;
 42 hic sedet, et roseo fragrat odore Themis.
 43 Error in hoc fuerat ; celebrastis carmine matrem,
 44 quae potius capto visa noverca seni.

45 Res aliquo fortassis erat mulctanda tributo,
 46 non tamen examen digna subire tuum.
 47 Quod si tantus amor Patrios jactare furores,
 48 et, quae non capias, carpere facta velis ?
 49 Cur tibi prae reliquis exempla domestica sordent ?
 50 Latior hic campus, fertiliorque seges.
 51 Hic manifesta fides. Cur hic tacet ebria Musa,
 52 dissimulans vatis stemmata tanta sui ?
 53 Non bene nocte premat, cui sit vel avunculus Hector ;
 54 vel Phryx durateo per mare vectus equo.
 55 Stringis in immeritas erronea tela Camenas ;
 56 arripis, at non hoc arripienda modo.
 57 Vinipetas vates si diximus, ipse fateris ;
 58 et quibus instructae sunt in honore dapes.
 59 Nunc eadem repeto : mihi turba famelica vatum ;
 60 non te, sed cenas aestimat illa tuas ;
 61 captatrixque meri est. Et in hunc Encomia finem
 62 per fora, per populos, oraque, sparsa volant.
 63 Hinc aliquo in pretio censentur inertia corda :
 64 mittitur ad patrios splendida charta lares.
 65 Ventilat has genitor nugas, et candida mater
 66 ostentat nati prima tropaea sui.
 67 Sic nummos amat petulans, et vina coronat :
 68 sic vitra, sic ictus perstrepat ense lapis.
 69 Est quoque qui vigilans audax incurrat in ipsos,
 70 et repetit caeca non nisi nocte domum.
 71 Quam bene majorum captu tibi noctua, Pallas,
 72 addita ! Sed nostram non decet illa Sain.
 73 Conveniens oleae ramus, non arma, Minervae ;
 74 convenit et studiis uncta lucerna tuis.
 75 Non tamen hoc morbo Respublica tota laborat :
 76 sanior in multis mens, meliorque fides.
 77 Invenies, queis non mentitur publica fama ;
 78 applausum studiis qui meruere suis.
 79 Invenies etiam qui carmina vera loquantur,
 80 me vide, et austeræ perlege frontis opus.
 81 O, si corruptos Censoria virgula mores
 82 emendet, satis est. Metaque fixa mihi,
 83 si, Juvenis, te mente nova novus induat annus.
 84 Per Genium, et canam juro meamque fidem ;
 85 protinus, ecce, tuis surgent nova nomina Delfis :
 86 dummodo mordaci non libet esse tibi.
 87 Fervide, quo raperis ? Non sic spatia ultima tanges.
 88 Hoc tuus in Circo sudat anhelus equus.
 89 Carceribus missus vix tertia conspicias ova,
 90 septima jam ruptis non adeunda rotis.
 91 Frangit Idumaeas fugiens victoria palmas,
 92 Nec praetor mappam quam tibi mittat, habet.
 93 Scriverio quam mutat, habet : nunc currite, bigae.
 94 Scriverio Mavors, Consus et ipse favet.
 95 Non revocat Cybilaea parens, non numina Circi :
 96 jactatis revocat me neque Roma togis.
 97 Dique hominesque favent omnes : nunc currite bigae.
 98 Praetor inoffensus, currite, laudet equos.
 99 Non solum ad metas victor contendit in urbe,
 100 curritur et ruri. Rustica Musa mea est.
 101 Prensat aratores, ingentia nomina, patres ;
 102 rapaque, Fabricio sed praeunte, vorat.

103 Et vernis satiata cibus, et saucia potu,
 104 proruit ad Vlietae lene fluentis aquas.
 105 Vel solem vitans, nemorum spatiatur in umbra,
 106 expendens horti dona, Priape, tui ;
 107 possit ut ad libros vigilantior inde reverti,
 108 adque Batavorum, quae canit, acta ducum.
 109 Hunc ludum permitte mini, vicine poeta.
 110 Permite insubidos, sed sine felle, jocos.
 111 Sic urbem fugimus, tandem ut veniamus in urbem ;
 112 hac quaedam nobis insitione quies.
 113 Unda salutantum minus opprimit ; otia ruri
 114 Musarum mystis integriora manent.
 115 Quid tamen hac multis querar, aut affabuler ? Ipse
 116 annuis, et quereris cornua laesa tibi,
 117 in nive candidius pectus directa, manusque,
 118 quae secum maculas signaque nulla trahunt
 119 sanguinis aut caedis. Nam, si quid lusimus olim,
 120 nullius fama est carmine laesa meo.
 121 Vita quater denos mea jam spectata per annos
 122 tam vetus hac Phoebi cultor in urbe sedet.
 123 Leydaque ab antiquo numeret si membra Lycei,
 124 ordine Scriverius primus (an alter ?) erit.
 125 Hic tenerum me Dousa suo complexus amore,
 126 hic fulsit studiis Julia stella meis.
 127 Atque alii proceres : non qui discesserat urbe,
 128 Lipsius, Aonii suada leposque chori.
 129 Lustraratque fuga mediam gladiator arenam.
 130 Heu, quod non illo tempore missus eram !
 131 Nam mihi nunc instat prope sexagesima messis,
 132 et tamen invidia criminibusque vaco.
 133 Si vitia incuso, non castigata remordent ;
 134 nullaque adhuc facti me metanoea coquit.
 135 Huic uni forsitan potui succumbere culpae,
 136 quam tua nunc pedibus Calliopeia trahit,
 137 traducitque typis. Non hoc meruere libelli ;
 138 non sancta in doctos mente probata fides.
 139 Non amor in quosvis, non tot vigilata per annos
 140 vel servata domi, vel data scripta foras.
 141 Adde, quod innumerae volitent sine nomine chartae,
 142 et quod suppositus debeat auctor, habet.
 143 Est bene, dum vulgo mea Collectanea prosint,
 144 communi dederam dentur ut illa bono.
 145 Nunc quoque sic pergo, quantumvis segnior annis.
 146 Seria nunc missis sunt potiora jocis.
 147 Maximus attonitas Salmasius impicat aures,
 148 adspergatque animi semina dia sui.
 149 Agnoscisne bovem vestigia figere lassum
 150 fortius ? Et quanto pondere verba cadant ?
 151 Optima quaeque senes ; juvenes juvenilia tractant,
 152 et nimium rapidis praecipitantur equis.
 153 Annuis ? Agnoscis ? Pacemne extendis oliva ?
 154 Et mea quid de te sentiat urna, rogas ?
 155 Parcendum teneris temereque calentibus annis,
 156 et sibi qui tantum non licuisse velint.
 157 Hinc quia verba puto lapsanti fusa Lyaeo,
 158 inscripto pereat noxia tota mero.
 159 Hebe effundendum mihi porrigat ipsa Falernum,
 160 ut crepet, et tacto det bona signa solo.

161 Testetur junctas aeterno foedere dextras,
 162 sive tegamus humum, sive tegamur humo.

IN JANUM SECUNDUM, POETAM ET CAELATOREM INCOMPARABLEM.
 SECUNDUS IPSE LOQUITUR.

E3_42 v.1 Artem Naturae genio mirabere jungi,
 2 protulerit pictum si mea vita caput.
 3 Prodierit, caeca quae me face Julia torret,
 4 (vatis amatoris Julia sculpta manu)
 5 protinus agnosces nostri monumenta caloris ;
 6 agnosces oculos qui rapuere meos.
 7 Flammeolos illos oculos, fuscetudine gratos :
 8 agnosces nigras, retia nostra, comas.
 9 Quas fronte, et toto collo volitare videbis ;
 10 qualis in amplexus venit amata meos.
 11 Artifices Phidiae digitos, et Mentora jures,
 12 Lysippi jures, Praxitelisque manus.
 13 Caelestem dominam jures, ea gloria caeli est :
 14 ingenium hoc nobis Julia sola facit.
 15 Julia te teneo ? An me rursus somnia fallunt ?
 16 Alter ut Ixion, Julia, te teneo ?
 17 Abduxitque meos hospes genialis amores ?
 18 Barbarus, heu, noctes possidet ille meas ?
 19 Possidet, et ficta se pascit imagine vates.
 20 Improbis, heu, secum gaudia vera tulit.
 21 Formosi remanet simulacri sola voluptas :
 22 sed tamen haec vivent, cetera mortis erunt.
 23 Vivet et aeternum nostris celebrata Camenis
 24 Julia primus amor, Julia summus amor.
 25 Exiguo magnum nomen sortita libello,
 26 fulgebis Latias inter honora nurus.
 27 Hujus in amplexus contempta Naso Corinna
 28 ibit, nec Gallo grata Lycoris erit.
 29 Nequidquam cupiet Nemesis lasciva Tibullum ;
 30 Romanum frustra Cynthia Callimachum.
 31 Julia postpositis adamabitur omnibus una :
 32 una dolor cunctis, unaque risus erit.
 33 Unam omnes cupient, omnes fastidiet una
 34 Julia, carminibus facta superba meis.

IN DIALOGUM JOANNIS ZURENI HARLEMAEI
 DE PRIMA, ET INAUDITA HACTENUS VULGO,
 ET VERIORE TAMEN ARTIS TYPOGRAPHICAE INVENTIONE.

E3_43 v.1 Quis pudor, o cives ! Aut quis respectus amici
 2 privatos adeo suadet amare lares ?
 3 Plena laboratis Zureno scrinia libris,
 4 plurimaeque et propria charta notata manu ;
 5 et mavult aliena tamen committere prelo,
 6 quam sua : cum possit dignius ipse legi.
 7 Et praestet liber iste, novam qui vindicat artem,
 8 auctoremque suum tollit in astra, teri.
 9 Atque alii fetus et doctae pignora dextrae
 10 sed vetat austerus, proh rata vota ! Pater.

11 Hinc cum tot possint dicique legique libelli,
 12 hi periere aliis, et periere patri.
 13 Jamque suum prelis decus immortale Batavis
 14 staret, et Harlemo non temerandus honos.
 15 Non sic ex raptō praeclara Moguntia vivat,
 16 aut primo impressas arroget arte notas.
 17 Zurenus, tacitos inter numerandus Amyclas,
 18 heu, quantum muto perdidit ore decus !

AD JANUM GRUTERUM, PETENTEM CARMEN IN INSCRIPTIONES ANTIQUAS.

E3_44 v.1 O quanti Heroes sua mittunt carmina ! Certe
 2 non alio ferri clarior ore potes.
 3 His quia me nebulam stellis adspergere cogis,
 4 gratulor, o, studiis, vir generose, tuis ;
 5 gratulor huic operi. Nec enim Deus obruit, aut me
 6 lecta Prometheis dividit herba jugis.
 7 Non ego me viduus nudusque per oppida duco,
 8 ut cui eum docto nil Helicone foret.
 9 Non ita : Pegasidas pura colo mente Sorores,
 10 et Phoebum sacris qui praeit ipse choris.
 11 Ite procul curae, durum genus ; ite labores,
 12 alterius non sit, qui suus esse potest.
 13 Phoebe fave, tuus hic uni tibi servit alumnus,
 14 utque tuus nunc est, sic quoque semper erit.
 15 Ante jugo fortes submittent colla Batavi,
 16 saevaue dediscet proelia torvus Iber,
 17 quam mihi displiceat placidae pellacia Musae.
 18 Sic ego sum rector temporis ipse mei.
 19 Castra vocent alios, vocet Indus, et Africa dives,
 20 ipsaque aromatico terra Molucca sinu.
 21 Sollicitentque alios tituli, cellaeque curules ;
 22 me vocet ad partes Bibliotheca suas.
 23 Hic ego securus dulces ante omnia Musas,
 24 cumque his Douziadam, Juliademque colam.
 25 Teque colam, Grutere, meus qui pectore toto,
 26 dispeream, totus ni tuus esse velim.
 27 Sic opus aeternum vivat, quod mittis in ora
 28 publica, cumque illo tu quoque semper oves.
 29 Plus equidem, quam si Gaetula mapalia victor
 30 traxisses forti sub tua jura manu.
 31 Plus quam si rostrum, fractaeque triremis aplustrae
 32 signa reportasses ceu veterata domum.
 33 Laureaque in gremium posuisses sarta Tonantis,
 34 arduus ac niveis conspiciendus equis.
 35 Macte animo, quem rarus habet, non barbarus Ufens,
 36 non Matho, non istud Curio praestet opus.
 37 Non quivis alius tantos tolerare labores
 38 natus, at ingenii cura sit ista tui.
 39 Illa per Ausonias monumenta legenda ruinas,
 40 illa per Imperium Roma legenda tuum.
 41 Non mihi desultor studiorum colligat olim.
 42 Non bene sic tantum perficeretur opus.
 43 Smetius hic aliquis, seu vero Lipsius esto,
 44 seu mage Gruteri vis generosa mei.
 45 Hinc labor, o vappae constantiaque ipsa laboris,
 46 morsque adeo egregio parta labore placet.

47 Scuta juvent alios, haec, haec Epigrammata Janum
 48 non male per longas detinuere moras.
 49 Haec inquam statuis, et sacris eruta cippis
 50 nomina Gruterum detinuere meum.
 51 Pandectasque istas aevi monumenta prioris
 52 suspendit templo, Dia Moneta, tuo.
 53 Spissum opus, aeternos sed quod promittat honores,
 54 Nec juvat ex humili lecta corona jugo.
 55 In steriles campos nolunt juga ferre juvenci,
 56 pingue solum lassat, sed labor iste juvat.
 57 At vos Aeneides tumulis quos abdidit olim,
 58 et cineres isto mors habet atra loco,
 59 gaudete : atque adeo (si quis modo sensus in urnis,
 60 si quis amor laudis, gloria siqua manet)
 61 ite triumphantes, nam cum tot nomina vestra
 62 deciduae posset perdere casus aquae,
 63 aut hederæ errantes, sterilisve ferocia fici,
 64 quandoquidem saxis mors sua quaeque venit.
 65 Nunc securæ vigent victuris indita chartis,
 66 Caesareoque hilari fronte recepta sinu.
 67 Non ea nunc metuunt capri mala robora fici,
 68 non metuunt imbres, horride Dive, tuos ;
 69 Jupiter, irrident te, si fas dicere, pensi
 70 nec faciunt omnes quas jacularis aquas.
 71 Tu licet impugnes impostis orbibus orbis,
 72 marmoraque haec medio quae fugit umbra die ;
 73 Pyramidasque ausas vicinum attingere caelum ;
 74 tu licet assidua sternere labe pares :
 75 hic nihil efficies. Magis aere perennia perstant,
 76 solaque non norunt haec monumenta mori.

IN INSCRIPTIONES V.CL.JANI GRUTERI,
 AUSPICIIIS M. VELSERI, ET JOS. SCALIGERI EDITAS.

E3_45 v.1 Armorum Legumque parens cum subderet Orbem,
 2 imperiumque ejus jam sine fine foret ;
 3 invidiam movit : nam cum casa prima Quirini
 4 nil praeter salices cannaque vilis erat ;
 5 extulit alta caput, parvaque a sede profecta
 6 Arx Regum, et nulli Roma secunda fuit.
 7 Trux Chronus infremuit, nec tantae defuit irae
 8 Lemnius, et gentis Mars pater ipse suae.
 9 Incubere omnes, totamque excindere terram,
 10 Pyramidasque altas sternere cura fuit.
 11 Non tamen Annorum series, non flamma nec ensis,
 12 aeternum potuit hoc abolere Decus.
 13 Relliquiae superant, sed quas quoque tollere tempus,
 14 in barathrumque ignes vel dare bella queant.
 15 Ni vetet antiqui reparator Scaliger aevi,
 16 Velserusque atavis non minor ipse suis.
 17 Ni vetet et Musis nobisque Gruterus amicus,
 18 qui legit intactas Urbis et Orbis opes.
 19 Et nunc exit ovans statuis comitatus, et aris,
 20 non uno quondam quae nituere polo.
 21 Relliquias dixi ? Debebam dicere Romam,
 22 namque sub obtutus haec venit ipsa tuos.

23 I nunc atque nega nostri tria numina saecli
24 Tres quamvis summos exsuperasse Deos.

ALIUD IN INSCRIPTIONES JANI GRUTERI. V.CL.

E3_46 v.1 Post operam impensam, desudatosque labores,
2 ultima quos vulgi trudit in ora manus ;
3 ecquid erit praemi ? Nam si bene judico, tantum
4 post opus emissum non inhonorus eris.
5 Fallor, an hunc totum librum venerabitur Orbis,
6 et diffusa tuis laudibus ora geret ;
7 teque, tuumque ipsi sacrabit nomen Olympo,
8 Chelarum propter Erigonesque domum.
9 Macte, o, si sileant homines, te saxa loquentur
10 Romula, nunc linguas sunt ea nacta suas.
11 Et merito : namque haec nullis obnoxia damnis
12 incipiunt fato prosperiore frui.
13 Ingenii sunt ista tui : quid quod magis ; olim
14 florebut cultu splendidiora tuo.
15 Ipsaque in hoc dicent se lapsa furentibus Hunnis,
16 ut veneranda magis te renovante forent.
17 Qualis supremo sibi praefica funere Phoenix
18 pulchrior exusto fit rediviva rogo.
19 Haec, vir amice, tuis debetur gloria curis,
20 magna quidem : sed qua nec minor esse potest.

ALIUD IN INSCRIPTIONES CL. V. JANI GRUTERI.

E3_47 v.1 Quod vitam extinctis reddis, Grutere, sepulchris,
2 magnus es, Arcadio major et ipse deo.
3 Ille quidem vita functos revocavit ab Orco ;
4 vivere tu (mirum !) muta sepulcra facis.

IN CICERONEM JANI GRUTERI.

E3_48 v.1 Roma, pater Tulli, te consule, floruit olim,
2 infelix eadem te moriente fuit.
3 Infelix, nisi quod potuit se pascere scriptis,
4 volvereque ingenii tot monumenta tui,
5 luxavit partim, partim quae sustulit aetas.
6 Horrebant miseris et ruta caesa modis.
7 Doctior ingemuit chorus, et Romanus Apollo.
8 Sed vix, qui lapsam rem repararet, erat.
9 Quid pia mater agis, curas quid volvis inanes,
10 Ausonia ? Hei, vires non habitura pares !
11 Gloria Germanis debetur, palmaque Belgis.
12 Horum ope divinum restituetur opus.
13 Roma iterum felix salvo Cicerone feretur :
14 agnoscet Janum Roma renata suum.
15 Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit :
16 "Nunc mihi si fas sit libera verba loqui,
17 vera tamen : dicam, Ciceronis maxime vindex,
18 et Romae et patriae te patris esse patrem."

IN CL. V. JOANNIS MEURSII ATHENAS ATTICAS.

E3_49 v.1 Optima sors suerat, sed, Athenae, pessima facta est,
 2 tempore fortunam concutiente tuam :
 3 Mulciberoque altos flammis populante penates,
 4 et finem furiis Marte negante suis.
 5 Ardens quin etiam, fors sit, magalia fecit
 6 ambitus. Heu, totum perdidit ille genus.
 7 Concidit Urbs, tandem res publica concidit omnis,
 8 pessumque in cineres optima mater iit.
 9 Meursius ossa legit ; Graii gaudete Quirites :
 10 nomen Athenarum charta loquetur anus.
 11 Pessima quae fuerat, sortis nunc optima facta est
 12 condicio : Theseus hic tuus alter adest.
 13 Moenia, Meursiaco quae surgunt structa labore,
 14 perstabunt ; nullo deperitura die.
 15 Non ignem haec metuunt, nec iniqui fulmina belli,
 16 longa nec hic quidquam tempora juris habent.
 17 At caveas rediviva tibi, modo Graecia felix ;
 18 fortunam discas et bene ferre bonam.

IN CL. V. JOANNIS MEURSII ARCHONTAS ATHENIENSES.

E3_50 v.1 Docta magistratus tibi, flava Minerva, redonat
 2 pagina. In auctorem munera grata refer.
 3 Ecquid erit praemi ? Quas reddidit ille coronas,
 4 accipiat meritis (hoc age, diva,) comis.
 5 Aureus Actaea statuatur Meursius arce,
 6 subjiciat fasces Graiaque turba suos.
 7 Quique magistratum Phoebi Phoebique sororum
 8 nunc gerit, aeternum, Virgo Patrona, gerat.

IN UBBONIS EMMII HISTORIAM FRISIAE.

E3_51 v.1 Esse quid hoc dicam ; tibi debita fama negatur,
 2 Ubbo ? Tibi, Patriae quem voco jure patrem ?
 3 Nam sine te, (verum testor) vir magne, fuisset,
 4 de Frisiis vanum jam legeretur opus.
 5 Jam Suffridaeis premerentur nostra Chimaeris
 6 pulpita : jam monstris omnia plena forent.
 7 Et mera spirarent Frisii mendacia folles ;
 8 municipes quivis ut Jovis esse putet.
 9 Gestaque Majorum densa sub nocte laterent ;
 10 et spurius tantum Phryx in honore foret.
 11 Sero Phryges sapiunt. Atqui sapientia prima,
 12 cum Phrygibus Frisii si sapiamus, erit.
 13 Credimus Alvini rhytmis. O pectora caeca !
 14 Credimus Occoni, Scarla minuta, tuo.
 15 Credulus et nostras vellit Furmerius aures,
 16 qui Frisio priscos expulit orbe Phrygas.
 17 Scilicet a Parsa Fresone vocabula gentis
 18 nota ; novum patriae nunc dedit ille ducem :
 19 seu potius totam qui nomine Principis aulam
 20 impleat, et prima consecret aede Stavum,
 21 unde tibi fama est venisse Straveria nomen.
 22 Signavit terras sic dea Festa novas.

23 Pro Pudor ! Herois sic nugas inserit actis ;
 24 Tapponemque audax et nova monstra facit.
 25 Tapponem, non quem docto ciet ore Catullus,
 26 sed quem Parrhasiam vult coluisse domum,
 27 Romanasque aquilas, et Flavia signa secutum,
 28 dum movet in torvos belliger arma Dacas.
 29 Quid Suffene ! Igitur Latiis annalibus ille
 30 indictus princeps jam generosus erit ?
 31 Nullane Dibbaldi quoque mentio facta Segonis,
 32 Cum sit Verriti cum Malorigo suo ?
 33 Praeteritosque alios coges nos credere reges,
 34 queis auctum annales te juvat ire tuos !
 35 Dic mihi, quis Saxo, cui nomeri Saxonis ora
 36 debeat ; aut Brunus quis sit, et unde domo :
 37 traxerit unde suum celebris Brunsvigia nomen,
 38 credemus fratres, Friso, fuisse tuos !
 39 Jam tuus e Gailone nepos nova gloria Grunus,
 40 an Groningani nominis auctor erit ?
 41 Sic visum vulgo, atque ipsi majoris abollae
 42 Suffrido. Ah ! quam non hoc placuisse velim !
 43 Cur non his potius grunnisse Elpenora terris
 44 fingit, Ulyssaeum vel stabulasse pecus ?
 45 Non apinis forsan, tricisque hoc vilis esset,
 46 quas promit larga Barbarus ille manu.
 47 Quisquilias tamen has, tamen haec sua scruta popello
 48 vendit, et Historici munere laetus ovat.
 49 Sparge, puer, flores, amarantaeasque corollas ;
 50 i, puer : ad portas Livius alter adest.
 51 Nescio quid majus Tacito nunc nascitur orbi.
 52 Nam quis Cappido se volet esse parem ?
 53 Nil aliud loquitur vulgus, Suffridaque laudans
 54 somnia, jam Crispos, Thucydidasque crepat.
 55 At peream ! Si sit dignus praestare matellam
 56 Cappidus Tacito, tressis agaso Deo.
 57 Quid simile est Dousa, et Snoius ; Suffridus et Ubbo ?
 58 Ad magnum Aemilium tu, Mamerane, quid es ?
 59 Quid Jovis in mensa fabrorum prandia betae.
 60 Ponit ubi Ambrosias dia juvena dapes ?
 61 Atque ubi se Superi perfundunt nectare vivo,
 62 quid facit exstincti perfida vappa cadu ?
 63 Ringuntur docti ; tamen haec sapientia vulgi
 64 obtinet ; ordo omnis tam populare sapit :
 65 tam fatuo gustu est, verum ut discernere falso
 66 nesciat. O casso lumine corpus iners !
 67 Sed, queis iudicium, queis est mens sana, pudorque,
 68 lectores libris det Deus, Ubbo, tuis ;
 69 qui pretium faciant, cedroque et murice donent.
 70 Abstineat scabras cetera turba manus.
 71 Ante focum pueris veterum deliria nutrix
 72 narret, et Occonem garrula laudet anus.
 73 Te gravis aeterna commendet voce Thuanus,
 74 noster et ingenti Grotius ore legat.
 75 Me quoque mirantem generosi fulmina veri,
 76 devinctum sancto pignore pectus habe.
 77 Sit licet, inventis glandes qui quaerat aristis,
 78 praeferat Hyblaeis Corsica mella favis ;
 79 haud ego rarn demens, (nec siverit optimus ille
 80 Jupiter) hos canos juro, tuamque fidem.

81 Cui si praeferri mendacia putida cernes,
 82 stultitiam vulgi ride, jocumque puta,
 83 aut vitium saeculi, quo vivis fama negatur,
 84 et sua jam rarus tempora lector amat.
 85 Emmiades quare non festinate libelli,
 86 certus ab auctoris funere surget honos.

IN ANNALES NOBILISSIMI VIRI JANI DOUZAE,
 PATRIS, POETAET ET HISTORICI PRINCIPIS.

E3_52 v.1 Grande operae pretium Patriae describere Fastos,
 2 figereque ad Templum, Dia Moneta, tuum.
 3 Francigenasque istos comites transmitters Famae,
 4 codice Lethaeos anticipante metus.
 5 Oppida tot, villasque suis donare colonis,
 6 tot vada, totque amnes, flumina, totque lacus,
 7 brachia tot Rheni, veterisque tot ostia Flevi,
 8 tot silvas, saltus, pascua, rura, domos,
 9 eruere e tenebris, et publica ferre sub ora,
 10 omnia nominibus nobilitata suis.
 11 Grande operae pretium. Vos vos abscedite, vappae,
 12 Historiae soliti commaculare decus.
 13 Haec Rhodos, hic saltus Douzae superabitur uni ;
 14 historicum praeter quem dare nemo potest ;
 15 doctior Annales nemo illo pangere clavos,
 16 bellaque apud saeculum gesta referre vetus ;
 17 ipse fuis pollens opibus : non ille pharetra
 18 e Gerebrandina promere tela solet.
 19 Non Hunnibaldi mendacia ponere. Douzae
 20 est cum Turpino, cum Manethone nihil.
 21 Non illum figmenta juvant, non frivola rerum ;
 22 cuncta sed Historica verba ligare fide.
 23 Non ille applausum vulgi, caveaeque supremae
 24 per nebulas quaerit, per phalerasque sibi ;
 25 qui mos nubigenis istis, queis gratia palpo
 26 quaeritur Heroum, municipumque favor.
 27 Scilicet, o suaves Censores, scilicet ! atqui
 28 tale nihil veterum tot monumenta probant,
 29 non tabulae Egmondiae ; non exemplaria scripta :
 30 denique non Fasti de meliore nota.
 31 O Snoie, o Tragora, quae vos dementia cepit,
 32 commenta in vestros ista referre libros ?
 33 Ah satis est, satis est, Gerebrandum verba dedisse ;
 34 ah quid mendaci vos juvat ore loqui ?
 35 Omniaque in majus augere, et vendere fumos,
 36 pyxide non ullo deficiente die ?
 37 Scilicet ut Satyris vos Dousica Musa flagellet ?
 38 Garrulaque excussa verberet ora manu ?
 39 At quanto satius numquam scripsisse fuisset,
 40 quam toties Douzae sustinuisse notam.
 41 O veri steriles Buccones, sistite cursum ;
 42 sistite : quo tandem vos mala scaeva rapit ?
 43 Quo ruitis rabidi effrenesque ? O ! sistite cursum.
 44 Hollandus nomen non habet inde suum.
 45 Nugarum satis est ; Tragora, tibi dico ; tuisque.
 46 Coliculis. Sero quid sit amare fidem,
 47 discite ab hoc Douza ; patriae qui archiva secutus

48 exponit Batavi pristina regna soli.
 49 Liber ab offensis, studio, ambitione, metuque,
 50 cuncta sub Hollanda simplicitate refert.
 51 Vestrosque errores in apricum ducit, et omnes
 52 explodit genii dexteritate sui
 53 Palpones, Mimos, Parasitos ; denique quotquot
 54 a teneris verum non didicere loqui.
 55 Aestimmet hinc Douzam Patriae pater ; aestimet aetas
 56 postuma Dousaeae nobilitatis opes.
 57 Agnoscat Comites, divum genus, erutaque Orci
 58 faucibus, eque ipso bella retracta situ.
 59 Ad fontes revocata suos tot flumina cernas,
 60 tot quoque natales oppida nacta suos.
 61 Multaque Tiresiis nondum bene cognita talpis,
 62 perlegat augusto continuata stylo.
 63 At bone, quod restat, quando mirabitur hospes ?
 64 Perpetuos Fastos (hoc age) trude foras.
 65 Douza pater, si te Patriae communia tangunt
 66 commoda, si tangunt vota precesque meae,
 67 perfice jam coeptos Annales, perfice Fastos ;
 68 haec tua victurum tempora tangat opus.
 69 Assertorque veni multum ringentibus umbris :
 70 ut Patriae natus, quam videre tibi.
 71 Da, pater, illustres mota caligine Reges ;
 72 a Styge nos reduces conspiciamus eos :
 73 divinas illas animas. Da tollere caelo
 74 flumine jam puras nocticolore comas.
 75 Excute ephemeridas, rationes excute fisci,
 76 actaque quae summa sunt voluenda fide.
 77 Scrinia non tibi sunt, tibi non armaria clausa ;
 78 ad genium rursus, in geniumque redi.
 79 Digerere in certos tot casca, sepultaque libros
 80 officii credas, maxime Douza, tui.
 81 Sublestamque fidem Tragorae, lapsantiaque udo
 82 guttore in emeritas mittere verba cruces.
 83 Affaniasque omnes Snoji, stolidique nepotis
 84 somnia figmentis prodigiosa suis,
 85 deterere e chronicis ; spuriasque avertere nugas :
 86 inque vicem historiam ponere, namque potes.
 87 Et bene coepisti. Ne desine, magne Senator.
 88 Sic fluat ad curas mollior hora tuas !
 89 Et tetricae cessent lites, querulique libelli,
 90 nec vocet ad causas juridicina suas.
 91 Sic tibi, sic fas sit Themidos seponere lancem,
 92 et Batavis totum te dare, Douza, tuis.

IN HISTORIAM GELRICAM JOH. ISACII PONTANI.

E3_53 v.1 Fronde sub aesculea dum formidabile monstrum,
 2 et desolatis turpe moratur agris,
 3 excessere suis vicani finibus omnes,
 4 maestus et ereptas flet Meliboeus oves.
 5 Progenies Ponti, juvenes duo, fulmina belli
 6 prostrato palmas ex animale ferunt.
 7 Protinus accessere homines terrore fugati,
 8 et redit ad patrios accola pulsus agros.
 9 Panque, Palesque simul laetos adiere Sicambros,

10 numina qui cultu sub potiore colunt.
 11 Exoptantque duces generoso e sanguine Ponti,
 12 quorum ope parta quies, et modo nata salus.
 13 Wichardumque humeris, et te, Leopolde, tulerunt,
 14 praefectos terrae quos voluere suae.
 15 Gloria nec Comitum minor, aut indebita saeclo ;
 16 nec quoque facta Ducum tot meruere tegi.
 17 Hei mihi, quam spissis ea sunt obnupta tenebris !
 18 Frivola quot Gelrus, nec sine nube, legit !
 19 Nassaviae gentis damno, damnoque parentum,
 20 per quos gesta domi proelia, gesta foris !
 21 Exoriare aliquis, natos qui rebus agendis,
 22 totque triumphantes publica in ora trahat.
 23 Fallor, an hic nobis Isacius. Ille Sicambros,
 24 Nasiavicam nobis adstruet ille domum.
 25 Gestaque majorum deterosa nocte reducet :
 26 nam Danis semper non vacat ille suis.
 27 Figmentis larvam mendacibus abstrahet ille :
 28 Praefectos, Comites, et dabit ille Duces.
 29 Nunc apinae, tricaeque, et Berchemiana valete
 30 somnia ; cum nugis tu, Gulielme, tuis.
 31 A calamo hoc speranda dies ; gaudete Sicambri,
 32 gaudeat et laeto terra Batava sinu.
 33 Omina suntt aliquid : clari cognominis omen
 34 spondet, ab hac una monstra abigenda manu.
 35 E Ponto tua prima salus tibi, Gelria, nata est :
 36 perditaque, e Ponto nunc repetenda tibi.

IN HISTORIAM DANICAM JOH. ISACII PONTANI.

E3_54 v.1 Dicite, Pierides, cujas sit nobilis auctor,
 2 qui veterum recitat fortia facta patrum,
 3 et simul Arctoi tria regna resuscitat orbis :
 4 (qua Venere, o Musae, quoque lepore venit !)
 5 Cis mare qui Cimbros, inter mare Baltica sceptrum
 6 colligit, et Gothos trans mare gnavus adit.
 7 Regna suos quondam numerabant singula Reges ;
 8 at nunc unius sub ditione fluunt.
 9 Singula diversis olim distracta papyris,
 10 unius calamo nunc super astra volant.
 11 Unius Pontani, inquam. Credamne deorum
 12 esse genus ? Ponto cum Venere ergo satus,
 13 omnia qui belle sic effert, atque venuste ?
 14 Harlemiis ortus creditur : inde domo est.
 15 Hoc clamant Batavi ; sed Dania tota reclamant,
 16 et natum in Ponto dicit aquosa suo.
 17 Arguit et nomen. Patriae sed nomine missus
 18 hinc pater ad Danos Pontigenasque fuit.
 19 Dum peregre hic degit, praeclarus nascitur ille,
 20 natalem poterat qui celebrare locum,
 21 Cimmeriisque ipsos tenebris educere Cimbros,
 22 et tot Hyperboreo dedita bella sago.
 23 Nunc age, posteritas ; opus ista lege legatur,
 24 ut, sive ex illo, quo Venus orta, mari,
 25 sive sit e Ponto, et Danorum gente profectus,
 26 Pontani merito nomen habere putes.

AD CL. V. GERARDUM VOSSIUM,
 POST EDITOS DE HISTORICIS GRAECIS LIBROS,
 NUNC LATINORUM HISTORICORUM HISTORIAM EVULGANTEM.

E3_55 v.1 Vidit ut historicos Graio sermone locutos
 2 Roma ; nec auctores cerneret illa suos :
 3 et tantum annales numeraret Achaia chartas,
 4 Vossiade foetos excutiente sinus :
 5 cumque manum tabulis prope jam subducere vellet,
 6 ipse parans aliud (quod quoque vivat) opus :
 7 Diva tribuniciis venit comitata catervis,
 8 atque oculos docti se tulit ante viri :
 9 "Cum bene de Graecis coepisti, nate, mereri,
 10 inquit, an Ausoniae dememinisse potes ?
 11 En ego, quae totum septem de montibus orbem
 12 conspicor, Imperii Roma Deumque locus ;
 13 tam verbi verique potens, quam Graecia mendax ;
 14 quaeque meis memini grata referre vicem ;
 15 vel statua titulisque colam, vel fronde coronem,
 16 inter Trajani tot monumenta fori.
 17 Quae te cura coquit ? Nam non cessare putandum est.
 18 In primis haec res digna labore tuo.
 19 Haec humeris libranda tuis. Haec ibit in aevum,
 20 nobilius nomen vix aliunde feres.
 21 Annales jam tempus erat te figere clavos ;
 22 jam decet Auctores explicuisse meos.
 23 Hoc age, jam numera : ne sim minor ipsa Pelasgis,
 24 aut praelata meis pallia Graeca togis.
 25 Hoc age : sic numquam Latiae te gloria linguae
 26 deserat, aut genius, docte Gerarde, meus.
 27 Hoc age, et Imperii stantis pariterque cadentis
 28 scriptores simili sedulitate refer.
 29 Ob tot servatos, vindex clarissime, cives,
 30 ob tot de Stygiis scripta reducta vadis ;
 31 jam Capitolinam possum promittere quercum :
 32 copia palmatae mox facienda togae."
 33 Dixit, et excussis doctissima tempora pennis
 34 rasis, Apollineas admonuitque comas.
 35 Continuo pluteis mens indefessa resumtis
 36 consuluit famae, maxima Roma, tuae.
 37 Accipe natales scriptorum, Diva, tuorum ;
 38 Vossiade fetos excutiente sinus.
 39 Accipe primaevos, et iniquo tempore natos :
 40 accipe quos malle de meliore nota.
 41 Claudius haud semper, non semper Asellio praesto,
 42 Cassius haud veniet, nec tibi, Roma, Macer.
 43 Ah, deerit Sisenna tibi, dux ordinis ille,
 44 teste tulit summum qui Cicerone decus.
 45 Historiae miscere jocos nec, ut ante, licebit ;
 46 Clitarchum aut libris inseruisse suis.
 47 Illa ostensa semel Valeri non umbra recurret,
 48 subtrahet annales pictor et ipse suos.
 49 Saepe soloecismos, nec frugi verba notabis ;
 50 Varronesque alios, Antipatrosque leges.
 51 Nec tibi maturi promitte Catonis acumen,
 52 quicquid et Ausonio Plinius ore sonat.
 53 Quod si forte tibi generosa poetica cordi,

54 et cupis historica verba ligata fide,
 55 Naevius haud semper tibi Punica bella sonabit,
 56 non Clio Ennipatris fortia facta canet.
 57 Non etiam hibernas cana nive conspuet Alpes
 58 Furius, aut Histris Hostius arma dabit.
 59 Denique non Albinus erit, qui proelia Magni
 60 concinat, et lauri cingat honore caput.
 61 Heroumque loco succedet barbara turba ;
 62 eheu nominibus paene timenda suis.
 63 Vexabit quandoque tuas Tanusius aures,
 64 et Volusi implebit sordida charta manum.
 65 Cumque petes pelvim (ad pelvi in te nausea coget)
 66 saepe Fenestellam cum Tuberone voles.
 67 Nunc ubi Corneli, dices, monumenta Nepotis ?
 68 Nunc ubi Sallusti pagina prima mei ?
 69 Ergo silet Tacitus ? Tacet, heu, mihi Livius ingens ?
 70 Pro dolor ! Et tantum barbara turba crepat ?
 71 Nunc ubi felices calami, cultique libelli,
 72 nominaque in tabulis scripta, Moneta, tuis ?
 73 Quae chorus omnis amet, relegatque venustior orbis ;
 74 ut quis facundo contigit ore loqui.
 75 Et qui sollertem Phoebos junxere Minervam,
 76 temporis horrorem cetera turba trahit.
 77 Offendas igitur Latiae si crimina linguae,
 78 Roma, nec exacto nomina cusa typo,
 79 stridoremque aevi primo de flore cadentis ;
 80 da veniam, hosque una te voluisse puta.
 81 At tanto reddes si praemia digna labore,
 82 jam Vossi medio stabit imago foro.
 83 An tibi Tarpeia melius ponetur in arce,
 84 dulce juventatis claudere jussa latus ?
 85 Seu potius divi custodis more sedebit ?
 86 Convenit et meritis illius iste locus.
 87 Namque recensendo tot debita nomina famae,
 88 per quae Romanum surgit in astra decus ;
 89 quottidie immensum, succrescit gloria prisca ;
 90 custodem hunc poteris jure vocare Jovem.
 91 Quaeque tibi periit concussa rupe juvenas,
 92 Vossi opera templis est reparanda tuis.
 93 Illius aeternam conatibus auguror Urbem.
 94 Jam video ex omni parta tropaea mari.
 95 Imperium terris, animos aequabit Olympo
 96 rursus, et antiquus restituetur honos.
 97 Hi septemgemini perrumpent aethera montes,
 98 nec stabunt humiles in Jovis arce casae.
 99 Custodem patriae sanctum dixere Quirinum :
 100 custodem Romae Di genuere novum.
 101 Cum tenebrae obrepent, chartis lux surget ab istis ;
 102 erranti hic Helice est, et Cynosura rati.
 103 Non aliud saxum, lucumve, aut quaerat asylum ;
 104 hoc astrum in mediis naufragus optet aquis.
 105 Termine, qui nulli te cedere velle negasti,
 106 custodi huic tandem cedere disce Jovi.

IN CREPUNDIA SILIANA CL. V. DANIELIS HEINSII.
CARMEN ELICIUM.

E3_56 v.1 Gratulor hoc ipso me demum tempore natum,
2 quo juvenile secus nil juvenile sapit.
3 Adspice Germanos, Musaeos adspice Gallos,
4 adspice quos homines Belgica terra dedit.
5 Nomina quid referam, citreis quid denique libris
6 insculpem, loquitur quos bona fama diu ?
7 Varronesque vocat. Proh ! quam mirabitur aetas
8 postuma, dum caelo digna reperta legit.
9 Nunc virides hederas, nunc laureaserta parabit,
10 vindicet ut juvenes perpete fronte comas.
11 Hoc, adolescentes, vobis currentibus addo
12 calcar ; honoratae currite laudis iter.
13 Vos meus en hilari comitabitur Heinsius ore,
14 et nunc admisso continuatur equo.
15 Totus in Hesyche, Suida, Nonnoque poeta ;
16 estque illi in Siculo vate, quod inde petat,
17 non animadversum doctis censoribus ; et quid
18 miramur ? Nasum rhinocerotis habet.
19 Nil intentatum, nihil hic, nil linquit inausum ;
20 hoc utinam servent diu mihi fata caput !
21 Opponam ingeniis antiquis Atthidis aurae ;
22 opponam Latio : tu modo, Livor, abi.
23 Hic mihi dum recitat sua tersa poemata vates,
24 non possum, qui sim, sive ubi, nosse miser.
25 Tumque meos poscit Siren dulcissima plausus,
26 et mihi qui placeat Calliopea rogat.
27 Quid loquar ? Ah miser, ah percussus sidere linguam,
28 dum mihi dum constat vocis habere nihil.
29 Mentem animi sensi tamen illi plaudere, sensi
30 illi etiam digitos sponte favere meos.
31 Nunc ut me capiunt privos quas scribit in usus,
32 ingenio instinctus nobiliore, notae !
33 Plurima in his non visa aliis, intactaque tangit
34 hic, o divinus noster in arte Probus !
35 Hic anima antiquae Charitos, suadaeque medulla,
36 delictum Phoebi, delictumque meum ;
37 cordolium Invidiae : quid multis ? Factus ad unguem
38 hic homo, nil illo cultius esse potest.
39 Sed quid agit meus ille, meus non falsus amicus ?
40 Anne adeo se nil cultius esse probat ?
41 Tradit et artificii sua conjectanea prelo,
42 an muscas cultri cuspide figit iners ?
43 Dii melius ! Curent alii jam sordida, detque
44 Heinsiades studii strenuioris opes.
45 Hoc age, mi Daniel, tua Conjectanea profer,
46 surgere queis Suidas, Hesychiisque queant.
47 Queis nos, queis rerum gnaros, veteresque laborum
48 distincte doceas quae latuere diu.
49 Ne tibi sit sacris operari velle Vacunae,
50 nec subeat mentem Murcia pigra tuam.
51 Non satis est prodisse semel, carmenque dedisse
52 in lucem, totus, culte Poeta, veni.
53 Prome illa aureolo tibi tersa poemata filo,
54 prome pharetrati nobile amoris opus.
55 Prome Cytheriaco dignissima carmina peplo,

56 sic saepe inclinet se tua Rossa tibi,
 57 Rossa tuis elegis notissima fabula caelo,
 58 illa inquam omnivolo Rossa petita Jovi.
 59 Hoc age, prome jocos, divinos prome lepores,
 60 te manet in niveis splendida fama rotis.
 61 Elogium majus non addo, sit alea jacta,
 62 prodi, sisque faber nominis ipse tui.

IN MANES DOUSICOS CL. V. DANIELIS HEINSII PIETAS.

E3_57 v.1 Ore favete omnes. Dis Manibus Heinsia virtus
 2 sacra facit. Dousae militat ille suo.
 3 Et titulis ornat, violisque, rosisque sepultum,
 4 aridaque effusis busta rigat lacrimis.
 5 Utque suo vivum complexus amore poetam est,
 6 defunctum digno sic et honore colit.
 7 Cumque aevo possint pulcherrima marmora rumpi,
 8 mansurum Dousae constituit tumulum.
 9 Et vehit in caelum solvi metuentibus alis,
 10 crede mihi, tanti paene perisse fuit.

H IN AURIACUM CL. V. DANIELIS HEINSII.

E3_58 v.1 Ite procul curae, durum genus, ite labores,
 2 non mea nunc vestra compede crura sonent.
 3 Ille ego jam tandem meus a Praetore recessi,
 4 et data sunt Musis otia laeta meis.
 5 Mitior affulsit nobis Deus. Ilicet omnis
 6 turba puellari non satis aequa choro.
 7 Ilicet. Ad veteres en me juvat ire Sorores,
 8 en juvat in lusus et mea sacra vehi.
 9 Non tamen ut Volusi referam deliria nostri,
 10 sive adeo fastus, Brassica vane, tuos.
 11 Non tanti pascale pecus, non Hispo Tragurus,
 12 ad stomachum crambe nec facit ista meum.
 13 Me meus ad partes vocat Heinsius, illa piorum
 14 delicies hominum, deliciesque Deum.
 15 Illius (o Musae !) liber ad sua cornua venit,
 16 purpureoque omni lumine parte nitet.
 17 O quis nunc turpi possit torpere veterno ?
 18 O quis nunc tacitas possit habere fides ?
 19 Non ego, qui nulli faveam magis. Ite Vacerrae !
 20 Heinsius est solus, qui mihi carmen erit.
 21 Quem modo, quem parvo versare, crepundia nisu
 22 vidimus, et planum sollicitare pedem ;
 23 insurgit tragicis evinctus crura cothurnis,
 24 Aeschyleumque aequo pondere syrma trahit.
 25 Non tamen hic epulas Terei, non salva Thyestis
 26 fercula, non Bacchas, non Athamanta sonat,
 27 non Scyllas, non quae docuit ludibria vanus
 28 Ennius, aut Enni, vanus et ipse, nepos.
 29 Longe alia, o nostris juvat exhibuisse theatris,
 30 digna vel orchestris, magne Quirine, tuis.
 31 Ingentes canit ille animos, dominosque Batavos
 32 aligero secum tollit in astra gradu.
 33 Semideumque Heroa canit feliciter ; unum

34 triste, quod Hispanos detegit ille dolos.
 35 Triste quod in scurram pugnet pius, o dolor ! O Di !
 36 Quam scelus hoc ipsi non licuisse velim !
 37 Viveret Auriacus, Patriae Pater ; optimus heros
 38 viveret, et felix Belgia tota foret.
 39 Belgia jam longis belli concussa ruinis,
 40 Belgia quae belli nil, velut ante, gerit.
 41 Vota sed haec tantum. Fuit, ah fuit ! Ilicet, ah, ah !
 42 Quo servata fuit Belgia, pulsus Iber,
 43 vixit. At o cives, quid cum vixisse dolemus ?
 44 En, quo jam primum vivere possit, habet !
 45 Heinsiadem dico, quo nullus acutior umquam,
 46 quo gravior nullus splendidiorque fuit.
 47 Credite, non soli numeros miramur Ephebi,
 48 et juvenem tanto posse tumore loqui.
 49 Juliades stupet ipse, stupet gravis ille Senator
 50 noster Hyanteae Dousa sititor aquae.
 51 Jure bono : mala multa mali perpessus Iberi,
 52 exemplum Tragici jam puer exsul erat.
 53 Caspari procul ite leves, procul ite Gamera ;
 54 non facit ad Vatem pagina vestra meum.
 55 Cedite jejuni scriptores, cedite blenni :
 56 scilicet, huic palmas Grotius ipse tulit.
 57 Provocet antiquas haec una tragoedia chartas,
 58 quas modo cumque Hellas, Romaque dives habet.
 59 Sed nunc erubui de tanto dicere Vate,
 60 cum mihi tam parvus perstet in ore sonus.

IN HISTORIAM,
 SIVE CHRONICON UNIVERSALE CL.V. MARCI ZUERII BOXHORNII.

E3_59 v.1 Oppida Cattigenum pulchro spectanda Theatro,
 2 cunctaque Romano pulpita sparsa croco ;
 3 cui, nisi, Marce, tibi Boxhorni Hollandia debet ?
 4 Quoque aliis opus est, hoc tibi praeter opus.
 5 Qualis et Auriacae celebris victoria Bredae,
 6 sertaque Nassavias quae decuere comas,
 7 muneris haec sine fraude tui, sine fraude Minervae ;
 8 nec notat oblatas janua scripta moras.
 9 Haud minus in cathedra, toto admirante Lycae,
 10 Vellejum, aut Tacitum (nomina quanta !) legis.
 11 Nec minus est audita tuae facundia suadae.
 12 Funereas vibrat dum pia lingua faces,
 13 illustresque animas Lethaeis subtrahit undis.
 14 Sic, o ! Quam dulce est, ne moriari, mori !
 15 Me si fata senem tali dignentur honore,
 16 optem hodie vitae fila resecta meae ;
 17 sed prius edoctae quid praestantissimus auctor
 18 Zuerius omnigena dicat in Historia.
 19 Et meus Oudanus (quia lumine privor utroque,
 20 longaque nox oculis est metuenda meis),
 21 praelegat, et cupidas lector gravis impleat aures ;
 22 index ille mihi temporis omnis erit,
 23 aeternique operis. Juvenis qui struxerat Urbes
 24 an vir cum plausu regna minore dabit ?

IN GRAMMATICAM REGIAM
PRO SERENISSIMA SUEONUM REGINA CHRISTINA

E3_60 v.1 Hactenus ad Musas, primaeque exordia famae,
 2 orbita per salebras, saxaque scabra fuit ;
 3 tam pueris nostris, quam Regum sanguine cretis,
 4 cum par sit, mollem mollibus esse viam.
 5 Grammaticae torquent canones juvenilia longi
 6 pectora ; queis crambe nec repetita placet.
 7 Adde, quod et miseros occidat, saepe magistros,
 8 Cum minus attentos ad sua verba vident.
 9 Et pigra somniferas parit indulgentia nugas,
 10 ut puer in mediam dormiat usque diem.
 11 Hinc fit ut obrepant tumidis fastidia sceptris,
 12 propositumque aegre perficiatur opus.
 13 Hinc rarus Rex doctus erit, Pallatia jurent
 14 quem Romana suum, quemque Pelasga suum.
 15 Qualis apud Sueones doctissima filia Regis,
 16 litterulas didicit quae breviora via.
 17 Et nunc illa novem sibi vindicat una Sorores,
 18 ut decimam possis jure vocare deam.
 19 Haec via processus, bona quae non invidet hosti,
 20 exemplo doctum quem velit esse suo.
 21 Vinnula cum Getici persenserit arma Gradivi,
 22 serum artes Latias, Cecropiasque colat.
 23 Florebat (memini) Germania Palladis armis,
 24 (hei mihi ! quot doctos possidet umbra viros !)
 25 Nunc in colle quid est ? Non Pallatinus Apollo ;
 26 dives et Ausonio rapta Minerva patri.
 27 Te tibi restitue, ac tandem rediviva resurge :
 28 ad veteres artes, ingeniumque redi.
 29 Nusquam aquilae in campo, non pila minantia pilis ;
 30 ulla nec in vultu vulnera, Teuto, geris.
 31 Non crepat horrendum tibi buccina : fistula pacis
 32 exoret positis Martia corda sagis.
 33 Illectus methodo noster Boxhornius ista,
 34 regalem cunctos suadet inire viam.
 35 Verbosos, agedum, licet ejecisse theatro :
 36 quique crucem pueris figitis, ite foras.
 37 Nunc Despauterii, Cauciique volumina cessent,
 38 chartaque Gymnasiis scripta, Batave, tuis.
 39 Huc Taciti interpres descendit, ut alta propinet
 40 dogmata : festinus qui sitit, ista bibat.
 41 Invitetque alios ad Sueci arcana magistri,
 42 ut cito vir fiat, qui fuit ante puer.
 43 Fiat et auditor non Lipsi, Heinsive, sed hujus,
 44 qui modo Cattigenis reddit utrumque meis.
 45 Ut multi attonito frangant subsellia plausu,
 46 qui sapere, et Taciti rore madere velint.
 47 Quaeque novae nuper venero ad pulpita gentes,
 48 scamnaque, vix alio digna legente tegi.
 49 Qui Taciti praecepta docet, qui fenerat Actis,
 50 historiisque diem ; teque, Batave, colit ;
 51 hanc curam quoque pubis habet, diludia poscens :
 52 otia Boxhorni commoda quanta ferunt !
 53 Quod si doctorum nulli cessura virorum
 54 Suecia Romanas provocet una nurus,
 55 audeat et Graiis concurrere Virgo palaestris :

56 o Vossi, fruere qui propiore Dea,
 57 tuque, Heinsi, magno non inficiande parenti,
 58 quanta isthic vobis gaudia nata putem !
 59 Luditis inter vos, gelidamque tepetis ad Ursam ;
 60 (frigora Pierius calfacit ipse calor).
 61 Salsaque ad Augustas epigrammata mittitis aures ;
 62 tersave Pelignis carmina structa modis.
 63 Si placet obliquis animum oblectare Camenis,
 64 hic ubi materiam Cinna, vel Hispo dabit.
 65 Si blennos alios libeat ridere, licebit :
 66 sed tamen hic albis dentibus esto modus.
 67 Et quamvis nasi, aut gelasini occasio detur ;
 68 Regia non solis otia danda jocis.
 69 Seria cum vobis mirandaque plurima restent,
 70 quaeque suo Odrysius gessit in orbe Deus ;
 71 ite, atque aeternis committite proelia Fastis :
 72 cinctaque sint vestris ista tropaea jocis.
 73 Omnia quae legit, legit Regina, Quiritum
 74 dicta triumphantem saepe tulisse Duces.

IN CL. V. M. ZUERII BOXHORNII THEATRUM URBIUM HOLLANDICARUM.

E3_61 v.1 Cognita cum magna vix sint natalia Romae,
 2 pluriaque Ausonia moenia structa manu ;
 3 cum tot et incertis Graias auctoribus urbes
 4 annoso videas deperiisse situ ;
 5 obscuros nostris miremur in urbibus ortus ?
 6 Natalem sciri nec, Thuridrechta, tuum ?
 7 Harlemum exploso simul ignorabile Lemo :
 8 et Delfam, quamvis Corbulo fossor erat.
 9 Lugdunumque vetus laudatum nomine Leithis,
 10 sumptum a Leitheis ut videatur aquis.
 11 Cetera quid narrem penitis absconsa tenebris
 12 oppida ? Jam medio paene videnda die.
 13 Nos omnem Historiam, nostrasque excussimus urbes,
 14 quae partim e forulis jussimus ire foras ;
 15 et partim premimus crassem indignantia lucem,
 16 cum pretium Misis barbara turba neget.
 17 Hic canat ergo sibi, qui publica munia vitans
 18 Aonias proprio vindicat aere deas.
 19 Secretosque lares amat haud mercabilis ulli,
 20 civibus impendens otia tota suis.
 21 Dum veterum culpas blanditaque somnia damnat ;
 22 ardet et in laudes, ire, Batave, tuas.
 23 En meus, ingrato quantumvis, Zuerius, aevo,
 24 non cessat lasso ferre rogatus opem.
 25 Et nunc ille bono communi publicat Urbes,
 26 reddit et Hollandis pristina jura suis.
 27 Tam bene, tam culte, ut facile huic cessura Theatro,
 28 credam Romano sparsa theatra croco.
 29 Magna crepent operae magnis mercedibus emptae,
 30 libera veridicum dextera pangit opus.

AD CL. V. M. ZUERIIUM BOXHORNIIUM,

ELOQUENT. PROFES. DE INEPTIIS SECULI PERORANTEM.

E3_62 v.1 Sunt tibi cum vitiis, Boxhorni, proelia nostri
 2 temporis ; et genii dissidet urna tui.
 3 Sic sit noster Eques, sic totus ineptiat orbis,
 4 votaue Zueriaco sint aliena Deo ;
 5 ut recitaturum Pallas miretur alumnum
 6 saepius, et Marci splendida dona sui.
 7 Vix sapit admonitus morboque relictus eodem
 8 orbis ad ingenium (nunc ubi lingua ?) redit.
 9 Ecce aures hominum, patefactaque janua famae :
 10 et dubitas vires exseruisse tuas ?

IN CL. VIRI JOANNIS FREDERICI GRONOVII OBSERVATIONES CRITICAS.

E3_63 v.1 Ite triumphales Criticorum in tempora lauri,
 2 serpente per doctas civica sarta comas.
 3 Sensimus auctorum genios spirare sepultos,
 4 sensimus et libris addita Fata suis.
 5 Barbaries Geticis in nos effusa manipulis,
 6 quot damna (heu) nobis, et tibi Roma tulit !
 7 Concidit omne decus : Critici superesse juventur,
 8 per quos antiquum redditur omne decus.
 9 Angelus e caelo, qui corrigat omnia curva,
 10 mittitur, atque alii non sine laude viri.
 11 Vulnere vulneribus sparsim cumulata videmus ;
 12 vulnere sed Critica multa levantur ope.
 13 Plurima adhuc restant, et inobservata leguntur,
 14 tollere quae doctae non potuere manus.
 15 Romulidae longa detenti nocte queruntur,
 16 canisque obsessos sordibus esse piget.
 17 Naso, Tomitana quantumvis conditus urna,
 18 flagitat, et mixtus pluribus Umber, opem.
 19 Hinc indignantes adiens Gronovius umbras,
 20 sparsaque componens colligit ossa sinu.
 21 Compositisque suo Geniis de lumine lumen
 22 fenerat. An caecas ventilat ille faces ?
 23 Quaeque latet, vitam sopitis suscitatur umbris,
 24 Barbariesque isti sub pede pressa gemit ?
 25 Sic visum superis : ut inertis tempore nata
 26 monstra, simul gnava sint abigenda manu.
 27 Sunt aliquid Manes, et in ipsis Fata tenebris
 28 observant Criticos, quos statuere, dies.

IN ROMULUM ITALICUM VIRGILII MALVESSI, ROMANA CIVITATE DONATUM
 A GENEROSO, ET ILLUSTRATI JOANNE KRUUS, JESPERI F.

E3_64 v.1 Ne mihi, ne Princeps bonus umquam laeserit aures ;
 2 Romule, debueras cultius ore loqui.
 3 Invenit quicumque malos hoc tempore mores,
 4 inflixit lingua vulnera multa tua.
 5 Inter semirutos perierunt verba Latinos ;
 6 nec vetus in Roma Roma relicta fuit.
 7 Si pudor est, illo non possis, Romule, cultu
 8 inter Romanas nomen habere togas.
 9 Sic venias Latiis non agnoscendus amicis ;

10 Hersiliaeque tuae sic peregrinus eris.
 11 Haec mutata tuum fallat praesentia Dentrem ;
 12 ignoret domini villicus ora sui.
 13 Denique nullus eris : ni Mars sit Thracius auctor ;
 14 et rursus Venerem comprimat ille suam.
 15 A Borea pendes : Tarpejum juro Tonantem,
 16 et Capitolinis numina culta jugis.
 17 Hinc speranda novae sunt incunabula Romae,
 18 qualia vel Bruti, vel Ciceronis erant.
 19 Suecus Parrhasia juvenis spectatus in aula
 20 haud poterit Regem dissimulare suum.
 21 Mox dabit Othrysium post ista pericula Martem ;
 22 nunc tibi dat Venerem, sancte Quirine, tuam.

ALLUSIO AD NOMEM INTERPRETIS.

E3_65 v.1 De Sueco audieras interprete ; protinus horres,
 2 chalcea ceu dederit, chrysea lector habes.

ALIUD.

E3_66 v.1 Quod decus Imperii, duae gloria Principis esset,
 2 coeperat obscuro Romulus ore loqui.
 3 Romulus et poterat princeps malus ipse videri ;
 4 ni perdocta manus Sueca tulisset opem.
 5 Expulit, ecce, malos virtus crusaeia mores ;
 6 Romule, conversus, cogeri esse bonus.

I N HANSEATICA HANSI ANGELI WERDENHAGII.

E3_67 v.1 Foederis Hansaei libertas, saucia dudum,
 2 jam prope perpetuae filia noctis erat.
 3 Non mercatores priscae commercia fama,
 4 non urbes norant pristina jura fori ;
 5 non maris imperium, terra fluviisque vagatum,
 6 exciderantque Albo nomina tanta suo.
 7 Nec, nisi cum vitio, poterant numerare Senatum ;
 8 ipsum etiam nomen delituisse ferunt.
 9 Non tulit Helmstadiis doctor dimissus Athenis,
 10 et Magdenburgae Syndicus ille plagae.
 11 Angelus excussis reddit commercia chartis,
 12 narrat et historica pristina jura fide.
 13 Eruit Hansaeas priscis Annalibus urbes,
 14 ingentique animo suscipit illud onus,
 15 prodens Vandalicas monumenta fideliter Hansae.
 16 Accipe praeconem, nobilis Hansa, tuum.
 17 Ille triumphantis perrumpit nubila noctis,
 18 navigerasque suo lumine clarat aquas.
 19 Sic tractare Hansam, res Hansi nomine digna.
 20 (Conveniunt rebus nomina saepe suis).
 21 Et quia semideos proceres Geta nuncupat Hansos ;
 22 Angelus hic Hansi nomine dignus erit.

ICHTNOGRAPHIA ROMAE, ET TABULA LATINA JOANNIS ALBERTI BANNII.

E3_68 v.1 Quærerere pace tua liceat, dulcissime Banni,
 2 nunc ubi sit Latia Roma videnda toga ?
 3 De septemgeminis, totum quae prospicit Orbem
 4 montibus, Imperii Roma Deumque locus,
 5 nunc emissa manu fortasse perambulat Orbem,
 6 exponens Divos, Pontificesque suos.
 7 Ambulet haec, sed tu nobiscum, Jane, maneto.
 8 In quocumque loco Roma duobus erit.

IN COMMENTARIUM DE FEUDIS EVERARDI à BRONCHORST. I. C.

E3_69 v.1 Barbara vox Feudum, sed non res barbara Feudum ;
 2 quod vel Alexandri fama loquetur anus :
 3 a quo vel Feudi species, vel origo petenda,
 4 quum dederit ducibus praedia capta suis ;
 5 et sola militibus positis in limite regni
 6 donarit larga, non sine lege, manu :
 7 scilicet, haeredes ut publica bella capessant,
 8 et pro Romanis juribus arma gerant.
 9 Non privatus iners hunc forsitan speret agellum,
 10 militibus semper serviet ille suis.
 11 Ignavi procul hinc, procul hinc qui pollice trunco
 12 imbelles fugitis ! nobile Martis opus.
 13 Non vos hoc sapiens dignatur honore Severus ;
 14 ad se bellicrepas concitat ille manus.
 15 Et quod mireris, nihil huic venale sub hasta est ;
 16 praemia dat solis sortibus : emptor abi.
 17 Non nisi delectu legitur sanctissimus ordo ;
 18 purpuraque Augusto displicet empta viro.
 19 Nemo magistratum nummis, hoc Praeside, speret ;
 20 cui sit vita levis, sacculus aere gravis.
 21 Non cauponantem patitur regnare Senatam,
 22 nam quod emit iudex vendere jure potest.
 23 Invisum genus hoc cane pejus, et angue Severo,
 24 qui vectigalem non sinit esse Themin.
 25 Pro pudor ! Ah, cur non haec displicet auctio Gallis ?
 26 Cur Vaticanus sic legit aera Pater ?
 27 Quamquam Hadrianus utrix aliis rationibus usus,
 28 quis similis Sexto, vel prior, alter erit ?
 29 Optentur multi. Sed nos ad dona Severi,
 30 et data militibus rura, feramus iter.
 31 Haec si defendant ipsi, consultius esse
 32 imperio, et certam credidit ire fidem.
 33 Quod quoque magnanimi quondam videre Quirites,
 34 queis prope mos belli tempore talis erat.
 35 Scilicet hinc junctis deducta colonia bubus,
 36 captaque in hostili jugera lata solo.
 37 Hei miseros, fundis spoliat quos Roma paternis,
 38 eripit et totas pertica tristis opes !
 39 Felices contra quibus assignantur agelli,
 40 dives et optato germine ridet humus !
 41 Haec belli merces pretiumque haud vile laborum,
 42 quo suus et liber munere miles ovat ;
 43 sed vetus, et nondum constrictus lege Severi,
 44 omnes qui certa condicione ligat ;

45 militiamque jubet. Nec dispar cautio famae
 46 traditur, ut credas principis esse probi.
 47 Haec Feudi species ; imo incunabula prima,
 48 quae nunc Bronchorsto vindice cuncta patent.
 49 Illinc (quid dubitas ?) jam deducatur origo :
 50 res vetus, et priscis quae stabilitur avis.
 51 Jactant auctores, queis frena tenentibus olim,
 52 Barbariem admissis Roma premebat equis.
 53 Nobilis ut merito, sed longis obsita saeculis,
 54 et sit nobilibus res ea digna viris.
 55 Namque ut Nobilitas oculorum haud nascitur ictu,
 56 (sic mihi cum Baldo fas, pia Roma, loqui) ;
 57 principusque suis debetur nobile Feudum ;
 58 sic haec nobilibus non nisi digna viris.
 59 Hoc tuus insignis vidit Daventria consul ;
 60 ille Modestinus, maxima Leida, tuus :
 61 quo discedentis sarciri damna Donelli
 62 vidimus, et nostro vivere in orbe Themin.
 63 Vidimus hunc nodos, dubiique aenigmata juris
 64 solve, et aeternum conciliare decus.
 65 Nunc ne quid restet, Feudorum protrahit usum ;
 66 Quo nihil omnino pulchrius esse potest :
 67 atque ita materie Doctor versatur in illa,
 68 nesciat ut tradi nobiliore manu.
 69 Quid tu, Mome, negas, dominumque agnoscere spernis ?
 70 Mome crepa ; et partes ipse clientis agam.

BARBARICA FEUDISTICORUM LIBRORUM SCRIPTIO OFFENSUS SCRIPSIT AUCTOR
AD SEIPSUM

E3_70 v.1 Quae, precor invidia est, ita longam vellere barbam
 2 legibus a Feudo quae modo nomen habent ?
 3 Vis primum, immodicis ut dira Canicula flammis
 4 torreat insulso Barbara monstra sono.
 5 Et quamquam Gothicis sollemnia verba magistris
 6 doctorum flagris vel cruce digna putas.
 7 Fulmen, et Aeolio dimissum carcere ventum
 8 adjungis voto, vane poeta, tuo.
 9 Sed bene ! Sub finem spirat clementior aura,
 10 sperasque a docta vinnula verba manu.

IN LUCUBRATIONES TUNINGIANAS AD INSTITUTIONES JUSTINIANEAS. CL.V.

E3_71 v.1 Cum tibi supremos Lachesis jam ruperit annos,
 2 Tuningi, Patriae gloria rara tuae,
 3 non superimpositis geminatas accipe moles
 4 molibus, aut vanis marmora scripta notis ;
 5 quae cineri dat maestus honor : quae manibus offert
 6 heu Pietas sparsis officiosa comis.
 7 Accipe sed longis monumenta perennia saeculis,
 8 quae parat hic Vinni non reditura labor.
 9 Hic tibi vivet honos ; perstabit et inclyta fama,
 10 cum simul in cineres funera saxa cadent.
 11 Illa manus quondam studiorum fida tuorum ;
 12 Ille comes, semper et tibi dulce latus ;
 13 impendit Domino virides nunc Vinnius annos,

14 ne tua lethaeis fama prematur aquis.
 15 Et quem participem rerum, Gerarte, tuarum
 16 vidimus, et domini mente calere sui :
 17 nunc partos miscere juvat post funera census
 18 gaudentem socias reddere posse manus.
 19 Rarus amor vivo qui nunc praestatur amico,
 20 rarius est sed qui morte probatur amor.

IN EUSTATHII SWARTII ANALECTORUM LIBROS TRES,
 INSCRIPTOS JACOBO VAN DYCK, LEGATO REGIO, etc.

E3_72 v.1 Iste liber, viridi quem scripsit Swartius aevo,
 2 ad Dominum properat quam bene verna suum !
 3 Ad Maecenatem (quid lives, Tusce ?) Batavum ;
 4 pristina qui revocat, nostraque saecula beat.
 5 Hospitioque bonas cum Pallade suscipit artes.
 6 Et dolet ignara carmina nocte tegi.
 7 Qui pulchrum Phoebi nobis instillat amorem,
 8 quasque trahit comites ex Helicone deas.
 9 Pace tua liceat, mea patria, dicere, solus
 10 hic tibi pro multis millibus unus erit,
 11 cui famam nomenque suum mox debeat ingens
 12 Harlemum : tanti nec Damiata fuit.
 13 Atrebatum praesul (si quis modo sensus in urna)
 14 gaudeat, o templi curio Bavo, tui !
 15 Gaudeat ! Harlemios temere nec dicat inertes.
 16 Hi nobis tantum progenuere virum.
 17 Dyckius huic urbi vitales imputat auras ;
 18 hanc primum tenero sub pede pressit humum.
 19 Hinc pater eximius, cujus cum conderet ossa
 20 filius, in pulla veste senatus erat ;
 21 ibat et exsequias, nec doctus defuit ordo,
 22 quisquis et afflatus numine : Phoebe, tuo est.
 23 Venit et ad lessum populus. Pars funere tristis,
 24 pars in defuncti pignore lacta fuit.
 25 Nota patris virtus. Quem fortem sensit Iberus :
 26 Mavortis pullum patria tota colit.
 27 Qui nati pectus Musis et Apolline finxit :
 28 quo primum ad Reges tramite stravit iter.
 29 Jamque adeo nostri Maecenas dicitur aevi,
 30 cui Medices cedat, cui quoque Flander eques.
 31 Ille cui laurum hic Orientis dona ministret,
 32 submittat fasces utraque Roma suos.
 33 Illustris meus hic civis (quo nomine multum
 34 glorior) haud prisca labe notandus erit.
 35 Nam proavis quamquam studiis aliena fuere
 36 pectora, nec Clario tum patuere deo ;
 37 contentique suis ; Ecademi spernere silvas
 38 institerint ; causam tempora stulta scias.
 39 Mens sedet heroi melior. Qui dedecus omne
 40 majorum, aligeri purgat in amne pedis ;
 41 vecordesque animos generoso pectore pensat.
 42 Quod tibi mille artes, mille Lycea dabit.

EPIGRAMMA AD JACOBUM DYKIUM SUPER ANALECTA EUSTATHII SWARTII.

E3_73 v.1 Cum tibi convivae Rutgersius, Heinsius adsint,
 2 atque alii, quorum nomina fama canit ;
 3 totaque facundis exsultant atria dictis,
 4 admisceque tuam, vir generose, Charin :
 5 o quales epulas ! O qualia prandia ponis !
 6 Talia si mensae sunt analecta tuae.

IN FOENUS TRAPEZITICUM ILLUSTRISSIMI VIRI, CLAUDII SALMASII.

E3_74 v.1 Illustres animae non sunt sine crimine vulgi.
 2 Carminibus poteris doctior esse meis.
 3 Debitor in Batavis Momi Salmasius ore
 4 dicitur ; et nomen creditur esse bonum.
 5 Creditur ! Expositos reddit cum foenere nummos,
 6 usuraeque gravi computat aera manu.
 7 Omnibus in solidum poterat solvisse videri ;
 8 Claudia (proh pietas !) non putat arca satis.
 9 Altera suppositis sudabunt praela papyris,
 10 cum crepet ista videns, tunc ubi Momus erit ?

VIRO ILLUSTRISSIMO, JOSEPHO SCALIGERO, IN EUSEBIUM COMMENTANTI.

E3_75 v.1 Ah ! Quid delicias facis, illustrissime, quid te
 2 in chronico Eusebii perdere tempus ais ;
 3 imo oleum atque operam ? Quae ni sic perdita ; sane
 4 Eusebius Stygiis jam periisset aquis.

IN MARTIALEM A SE EDITUM.

E3_76 v.1 Cum quateret Belgas belli civilis Enyo
 2 patriaque Albano milite pressa foret,
 3 fortis et intrepidus pro libertate Batavus
 4 Hispanum Stygios jussit adire lacus.
 5 Nimirum, laus magna fuit tunc hoste perempto :
 6 an non servato gloria major erit ?

IN ATLANTEM GERARDI MERCATORIS,
 A JODOCO HONDIO SUPPLETUM, ET DIVULGATUM.

E3_77 v.1 Regia Pyramidum sileat miracula Memphis,
 2 Romaque nec moles tollat in astra suas ;
 3 majus opus dias in luminis exiit oras,
 4 debita quae Flandris palma duobus erat.
 5 Sed medio in cursu sudanti ac magna minanti
 6 Mors mercatori dempsit iniqua comam.
 7 Sic clarum meditatatus opus vita excidit auctor,
 8 non potuit totus sed tamen ille mori.
 9 Hondius accessit nutantis destina Mundi.
 10 Hondius Atlantis fama secunda fuit.
 11 Si Canis ignavus quondam, si pervigil Anser
 12 creditus, hinc maculam delet ille suam.
 13 Anseribus demus Capitolia tuta fuisse ;

14 servato fuerit sed Canis Orbe prior.

ALLUSIO AD NOMEN FULVIAE.
AD JANUM BODECHERUM BANNINGIUM.

E3_78 v.1 Cum sit amatricum dominarum copia tanta,
2 sola cupidinibus Fulvia lecta tuis.
3 Forte, quod a Fulvo nomen deduxerit auro.
4 Et sine dote tibi nulla puella placet.
5 Sit, Banninge, licet formosa, sit altera Cypris,
6 nil numen, nummo deficiente, potest.
7 Non certe a fulvis tua Fulvia dicta capillis ;
8 ne tibi pinguidulis foeteat illa comis.
9 Sed potius jactat genus alto a sanguine Fulvi,
10 atque aliquid priscae nobilitatis amas.
11 Non ita : non isto cordatus flamine vates
12 fertur : at in versu Fulvia sola placet.
13 Fallor ? An admittunt Paphiae, Cytherea, columbae ?
14 Veraque quae fingo gaudia, spondet Hymen ?

AD MERILLAM, IN AMORES VINCENTII FABRICII, POETAE.

E3_79 v.1 Ida Cupidineis Dousae cantata libellis
2 obvia Fabricio facta, Merilla, tuo ;
3 protinus invasit collum, lentumque tenaxque
4 basiolum impegit. Quid, levis Ida, facis ?
5 Dousa tuus non est, non hic tuus, Ida, poeta,
6 non est : sed Dousam credidit Ida suum.

AD SAMUELEM AMPZINGIUM, ECCLESIASTEN ET ENCOMIASTEN HARLEMI.

E3_80 v.1 Cum cuperet tota cantari Ampzingius urbe,
2 et pariter civi totus adesse suo :
3 "Non satis est, inquit, divini oracula verbi
4 pandere, et Angelicos voce ciere choros :
5 sunt alii, quorum noster praeterfluit aures
6 sermo ; nec affectus ulla querela movet.
7 Et spatiosa licet magni sint atria templi,
8 sufficit haud cunctis civibus iste locus.
9 Et quidam sectae studio in diversa trahuntur.
10 Quaerentes alia sub pietate Deum.
11 Serviat his calamus meus, et devinciat omnes,
12 exponens patrii semina prima soli,
13 inque gerens oculis totam gratantibus urbem,
14 bellaque gesta domi, bevaque gesta foris."
15 Dixit, et ut seri possent meminisse nepotes,
16 absolvit tantum sedulus auctor opus.
17 Jamque Lemum, Harlemiosque, ac Flori principis aulam,
18 et Pelusiaco parta tropaea mari,
19 obsidiumque atrox tumidi miramur Iberi ;
20 miramur laeti commoda multa soli,
21 divinamque artem, qua se Germania falso
22 jactat, et ignotum non sinit esse Mogum.
23 En ego Donati contra clarissima dono
24 symbola, jam certam promeritura fidem.

25 Atque ita dum magni premimus vestigia Juni,
 26 vindiciisque ultro dum favet ille meis ;
 27 ponere vix alibi potuit consultius horas,
 28 aut magis in patriam significare fidem.
 29 Sic populum lingua, calamoque interprete cunctos
 30 pascit, et immemores sic vetat esse sui.
 31 Pellicit huc natale solum, patriaeque cupido
 32 laudis. In hoc alacer pulvere currit equus.
 33 Et merito : nam si quondam flagravat Ulysses
 34 fumum de patriis cernere posse focus.
 35 Cur non hic pulchrae succensus amore Napaeae,
 36 laudaret patriae moenia blanda suae ?
 37 Quanto Ithaca urbs Sparnae praestantior ubere gleba,
 38 arvaque montanis fertiliora rubis ;
 39 tanto amor Ampzingi meliore cupidine fertur,
 40 dum Kinnemarios tollit in astra suos.

IN THEODORI SCHREVELII DESCRIPTIONEM HARLEMI.

E3_81 v.1 Doctius eloquium tenero meditatus ab ungue,
 2 Schonaeo patria gratus in urbe puer,
 3 extulit os, didicitque loqui. Jam Tullius alter,
 4 alter et Harlemi Quintilianus erat.

ANNO 1595.

5 Praeconemque suum Christi sperabat ovile,
 6 aspera si posset scabraque scita sequi.
 7 Aptior esse Scholae visus teneraeque juventae,
 8 aptior et sacris, pulcher Apollo, tuis.

ANNO 1596.

9 Extensis magis atque magis Schrevelius alis,
 10 in Trivio Leidae non trivialis erat.

ANNO 1597.

11 Schonaeus moritur, socci vetus atque Terenti
 12 cultor, Hiantaeis ter (puto) lotus aquis.
 13 Discipulus, tanto modo praeceptore beatus,
 14 accipit haud alia sceptra gerenda manu.
 15 Jam ferulae tristes in amoeno pectore regnant,
 16 lapsaque communi res reparata bono.
 17 Da veniam senio : juvenes agnosce labores,
 18 sic erit, ut pubes tota pigrore vacet.
 19 Omne vafer vitium tollet novus iste Palaemon,
 20 perferet haud mores amplius esse feros.
 21 Aptaque Leidanae submittet membra Minervae
 22 ad laurum, et doctis praemia digna comis.
 23 Hic cum fruge diu, cellae possessor Alexi,
 24 figebat certum Gymnasiarcha pedem.

ANNO 1607.

25 Consilio adscitus Patrum, et sapientibus urbis ;
 26 jamque ibi sit, si non factio nata foret.

27 Publica concordēs animos disturbat Enyo :
28 quilibet et partes ardelionis agit.

ANNO 1620.

29 In sibi propositas leges jurare neganti
30 rectori jussum res sibi habere suas.
31 Ignavone potes, Schreveli, cedere fuco ?
32 Quanto (eheu !) damno constitit illa dies.

ANNO 1622.

33 Sed potes ista pati. Sapis, cordate Magister,
34 o, cui Socratico pectora rore madent !
35 Ne Capitolino solio violenter abactus
36 ulla venenati spicula fellis habes.
37 Et tua jam pridem cultis Patientia libris
38 edita per populos oraque docta volat.
39 Excolis ingenium privatus in aedibus emptis
40 aere tuo : curae curia nulla tuae.
41 Ah, nescis, quem te fortuna reservet in usum !
42 Ecce, reedit mota nube serena dies.
43 Fors hera mutavit vultum : te candida Leida
44 praefectum ludi quaerit habere sui.

ANNO 1625.

45 Annuis : et tecum conjux Teilingia migrat ;
46 excultura novos qua solet arte lares.
47 Tanti est grammaticas docuisse fideliter artes.
48 Et mentem pueris insinuasse bonam.
49 Ecquid ad haec livor ? Tecto confunditur ore :
50 parcit et opprobriis improba lingua suis.
51 Sed doleant oculi, rumpantur et ilia Codris,
52 instauratur honos, accumulatur opes.
53 Et sua virtuti merces. Quid quaerimus ultra,
54 quam tanta (o superi !) prosperitate frui ?
55 Hic flos nobilium, ac dites numerantur ephebi,
56 protinus ad Musas agmina tota ruunt.
57 Ut Schola vix fuerit Stochiana frequentior umquam :
58 non bene Trojano quam similemus equo.
59 Namque hostes caeco ferus obdidit iste recessu :
60 haec contra Patriae protulit alma patris.
61 Sic aliquot lustris Leidae cum laude peractis,
62 permissum nato tradere sceptrum suo.

ANNO 1642.

63 His ita compositis patriam Screvelius urbem
64 cogitat, et cineres mandat habere suos.
65 Sed superest Lachesi quod torqueat, atraque necdum
66 pernerunt tetricae fila colosque deae.
67 Ire per Annales (neque enim cessare putandus)
68 resque domi gestas et monumenta juvat ;
69 quem Pelusiacum quondam cantare tropaeum
70 vidimus et serris rostra parata suis.

ANNO 1598.

71 Nunc ipsos cives Dominosque ab origine prima,
 72 historica donat (munera rara) fide.
 73 Natalis sic ille loci dulcedine fertur,
 74 ut Patriae posset Livius esse suae.
 75 Harlemum celebrat. Vindictae nulla cupido.
 76 Jam dudum offensae dememinitque suae.
 77 Ampliat aetatis spatium sibi vir bonus : exlex
 78 non poterit vitae de brevitae queri.
 79 Ipse suum cor edens vitalia stamina rumpit,
 80 stamina praescripto dissoluenda die.
 81 Felix ! qui surda convicia praeterit aure,
 82 quique animal muto vindicat ore loquax.
 83 Fortunam, quicumque sapis, reverenter habeto.
 84 Utraque cum non sit pagina lecta tibi,
 85 perfer : in exemplum cunctis Schrevelius unus
 86 prodeat, et nihili sic modo rhonchus erit.

IN DAVENTRIAM JACOBI REVII.

E3_82 v.1 Quod non hic Salii, formidatique Sicambri,
 2 Francia vel Reges progenitura suos,
 3 vel sua translatis qui debent nomina cunis,
 4 liliger in sceptris queis modo fulget apex,
 5 auspiciam faciunt, aliorum industria fecit.
 6 Optima Pontani cura, laborque ftiit.
 7 Ille Salae populos, Francosque ab origine prima
 8 digessit, Fastis asseruitque suis.
 9 Nec minus exacti laudanda Daventria Revi,
 10 gesta foris laudes, sed mage gesta domi.
 11 Omne tulit punctum, me iudice, Twickela dives,
 12 quae viduo tractat non nisi magna thoro.
 13 Twickela femineas inter nutrita cathedras,
 14 dum licuit, soli docta placere viro ;
 15 audet Apollineum mulier sperare Lyceum ;
 16 terque tribus sedem constituisse deis.
 17 Talia Reginam deceant spectacula Suecam,
 18 per quam Pegaseis Holmia splendet aquis.
 19 Christinam chorus omnis amat, sed nobilis Anna
 20 praevia, Christinae monstrat in astra viam.
 21 Anna per illustres celebrabere Twickela Musas ;
 22 Twickela Gronovi pagina prima mei ;
 23 cui mando elogium ; me suspendente tabellam,
 24 "ut pia dona novae sint diuturna scholae."
 25 Ne ferus invadat praedo, ne Cantaber hostis :
 26 sat, semel Hispanas extimuisse minas.
 27 Addita donatis Transisala praedia fundis
 28 mirer, et ex alio dona profecta sinu.
 29 Sint Maecenates, ausim spondere Marones.
 30 Hic ego munificam vellem abhibere manum.
 31 Sed propiora mihi Batavae delubra Minervae,
 32 blandaque legitimi pignora bina tori.
 33 Ambo mares : si quidem nec vincla jugalia frustra ;
 34 et quoque Lucinae dotibus ambo patres.
 35 Jamque ferebar avus ; sed honos fuit iste caducus,
 36 et cito natorum rapta quadriga mihi est.
 37 Quod si destituar, dederint nec fata nepotes,

38 ac taxo nuptas cogar habere comas.
 39 Sicque orbis moriar, natis morientibus orbis,
 40 postque triplex funus vixerit uxor anus ;
 41 (quae modo conjugii post quinquagesima liba,
 42 natalem Genii devenerata sui) ;
 43 Twickela quod fecit, voveam. Laudabile votum
 44 hoc mea post cineres sic luat Anna meos.

IN JUSTI RYCQUI SYNTAGMA DE CAPITOLIO ROMANO.

E3_83 v.1 Juppiter en Rycqui dias in luminis oras
 2 exit, et aeterna perstat in Arce Deus.
 3 Adspice nunc Aedes et celsi Numina montis,
 4 templaque Tarpeio quae dedit ille patri.
 5 Hic vindex Catulusque novus tibi, Roma, vocetur,
 6 ut Capitolini fiat alumnus agri.
 7 Detur in arce domus, tenuit quam Manlius olim.
 8 Praemia sed justo justius ista feres.
 9 Annuis, atque aequum censes, (puto) candida Roma.
 10 Quid mirum ? Struxit, quos colat, ipse lares.
 11 Succedatque sua reparator Rycquius Arce.
 12 Non potes huic propriam, Roma, negare domum.

IN ORATIONEM DE BONO CONCORDIAE, RUTGERI à BOETZELER AB ASPEREN.

E3_84 v.1 Exsulet a nostris pia quod Concordia terris,
 2 infestisque odiis Belgica tota fremat ;
 3 quid mirum est ? Non nunc spectatur in aere cornix,
 4 illa sodalities sedula sponsor avis.
 5 Sed volat hic recinens feralia carmina bubo ;
 6 et rumpit mediam noxia parra viam.
 7 Hinc Phlegetonteis homines Styx conspuat undis ;
 8 et levis armatas concitat ira manus.
 9 Quod nisi quis tentet tantos componere motus,
 10 actum est. Simplicitas illa Batava vale.
 11 At Juvenis patriae non degener incola terrae,
 12 ora cui tenero parvula fovit Amor,
 13 pro sanctis sumenda focis Demosthenis arma
 14 censet, in hostiles et ruit ore globos :
 15 non nisi vi Suadae cogens et fulmine linguae.
 16 Munita est calamo, mox erit ense, manus.
 17 Sed monitis, Rutgere, tuis attendimus omnes.
 18 Hic, o, quis surdis auribus esse velit !
 19 Quis non dissidii nunc semina mittat ad Orcum ?
 20 Tam culto victas quis neget ore manus ?
 21 O quis non votis nunc conspirantibus optet,
 22 rideat ut concors Belgica, ploret Iber !

AD ERASMUM BROCHMANNUM, OPTIMI REGIS PANEGYRISTAM OPTIMUM.

E3_85 v.1 Exemplo, trux Angle, tuo si cetera turba
 2 audeat in Reges impia facta suos,
 3 quis securus erit, si subjicienda securi
 4 regia, Fairfaxo Praeside, colla putes ?
 5 Anglicus hic toto si se diffuderit orbe

6 sudor, in Europa Rex ubi salvus erit ?
 7 Hic Regem jugulare suum Laestrygones ausi,
 8 (hanc tibi nulla dies eluet, Angle, notam).
 9 Percussum luget Borbonia maesta maritum,
 10 fataque inauditis praecipitata modis.
 11 Et si vivat anus Regina cor ulceret Anna,
 12 cum videat nati funera trunca sui.
 13 Absit, ut Arctois quisquam haec meditetur in oris,
 14 et Fredericaeo sanguine fumet humus.
 15 Quo feror ? Haec tragico dignissima scaena theatro,
 16 nec mihi, quae Regi structa, catasta placet.
 17 Brochmanni placeant felicia tempora pacis.
 18 Sed scelus ultrices poscit in arma manus.

IN MEYERI, POETAE GERMANI, TRAGOEDIAS ET COMOEDIAS

E3_86 v.1 Si recitas celso carmen regale cothurno,
 2 et latam longo syrmate verris humum,
 3 creditur antiquus rediisse in saecula vates
 4 Attius, et tragica si quis in arte valet ;
 5 et qui cana ferunt depictaque faecibus ora,
 6 quorum per salebras fragmina sparsa volant.
 7 Ad soccum si descendas, comoedia Plauti
 8 redditur, aut Afra Musa profecta domo.
 9 Sic, Meyere, places : vestis tibi convenit omnis,
 10 sive eques ad palmam ; sive pedester eas.
 11 Romanumque colunt Germana theatra Menandrum,
 12 Euripidemque suum basia jacta probant.
 13 Cedite fullones : vobis tentata Terenti
 14 scaena, sed est vestro parvus in ore sonus.
 15 Grandia Germano debentur verba poetae,
 16 jam nomen soccus, jamque cothurnus habet.

IN APHORISMOS HIPPOCRATICOS A NICOLAO FONTANIO MED.
 METHODICE DISPOSITOS.
 AD LECTOREM.

E3_87 v.1 Hippocrates longam medicorum dixerat artem,
 2 et pariter vitam dixerat esse brevem.
 3 Disposuit, fecitque brevem Fontanius artem.
 4 Jam numeras vitae tempora longa tuae.

IN OBITUM V.CL. PETRI PAVI,
 BOTANICI, ET ANATOMICI PROFESSORIS CELEBERRIMI

E3_88 v.1 Psittacus arguto nuper me ceperat ore,
 2 deliciaeque meae cercopithecus erat ;
 3 Heinsiadaeque fuit. Cujus post funera vivit
 4 carmine, et Elysium possidet umbra nemus.
 5 Missa sed Eois imitatrix ales ab oris
 6 edit adhuc miros vatis in aede sonos :
 7 vix memor antiqui domini, fidique sodalis,
 8 et jam majoris carmina vatis amans ;
 9 qui sanctis tumulum numeris in caerula caeli

10 templa vehat. Faveo, psittace ; vive diu.
 11 Non equidem invideo. Successit gratior hospes
 12 Pavo ; mihi gemmas explicat ille suas.
 13 Ille suis oculis, repetat quos sedulus Argus,
 14 me rapuit. Sed nunc raptus et ille mihi est.
 15 Nescio quis volucris medicatam objecerit offam ;
 16 sacrilegas certum est hoc potuisse manus.
 17 Cur vicine mihi tot gaudia livide tollis ?
 18 Saeve, quid innocuae toxica ponis avi ?
 19 Audieram miscere truces aconita novercas ;
 20 et regnum, aut nummos pyxide saepe peti.
 21 Quae (precor) invidia est, cauda spectabilis ampla
 22 si Gallina tuos appetat illa toros ?
 23 Et dulci nunc mole premat, nunc rursus ovanti
 24 fastosos figat transitione pedes.
 25 Barbare, delicias non es (puto) natus ad istas,
 26 quas tibi de medio tollere cura fuit.
 27 Euge, jacet. Ride ; streperis sed parce cachinnis,
 28 et numera in tacito gaudia mille sinu.
 29 Sed nosci si sorte voles, ignobilis esto :
 30 non frons ista meo stigmatem digna venit.
 31 Quaere alium nigro gaudentem fornice vatem,
 32 qui scurrae laudes ingeniumque canat.
 33 Pavo mihi dicendus erit ; tua gloria, Pavo,
 34 at mea tristities, cruxque onerosa mihi.
 35 Hunc doctae stipentur aves, et nobile funus
 36 concentu celebrent collacrimantque suo.
 37 Psittacus hunc plangat, plangat Phoebeius ales,
 38 Sturnus, et audito carmine pica loquax.
 39 Quaeque refert jungens iterata vocabula Perdix,
 40 et quae Threicium garrula plorat Ityn.
 41 Vosque aliae, natura dedit queis nobile fandi
 42 munus, ad exsequias ite frequenter aves.
 43 Pavo mihi volucrum princeps, mea sola voluptas ;
 44 hoc quod erat passer, docte Catulle, tibi,
 45 qui tibi turgidulos moriendo fecit ocellos ;
 46 hoc quod, Stella, tibi blanda Columba fuit ;
 47 iste mihi regnator erat : variusque colore
 48 vincebat cunctas ille superbus aves.
 49 Huic gelidi fasces submittat Phasidis ales,
 50 et cui penna rubens nomen habere dedit.
 51 Cedat conspicuis Numidum gallinula guttis,
 52 quicquid et in villis lautus amator habet.
 53 Ante pedes quotiens expansis constitit alis,
 54 miratus dixi : non habet ille parem !
 55 Quod si restitui vitae pater Ennius optet,
 56 somniaque esse aliquid Pythagorea putet,
 57 hic fieri cupiet Pavo, ceu magnus Homerus,
 58 post etiam Euphorbus. Denique Quinctus erit.
 59 Hunc talem, quem, cum gemmantes explicat alas,
 60 miraris, durae tradis, inique, neci ?
 61 Hinc te poena manet ; Stygiis torquebere flammis,
 62 sedabuntque tuam pota venena sitim.
 63 At meus Elysios nunc Pavo perambulat hortos,
 64 et veterum claras inter oberrat aves.
 65 Aut bibit aeterna recubans Heliconis in umbra,
 66 Bellerophontaei qua fluit humor equi.
 67 Sed nostram quid flemus avem ! Quin parva facessant :

68 in lacrimas major nos jubet ire dolor.
 69 Ecce etenim, cum sic raptō pavone querebar,
 70 dicitur ad Leti Pavius isse domum.
 71 Ilicet ! occubuit facundi Pavius oris,
 72 Pavius Ausonio non semel ore potens.
 73 Praecessit meus, et mortis tristissimus index
 74 (nam saepe augurium praebuit ille mihi)
 75 admonuit Fati, caderet quo Pavius ingens ;
 76 quo Medicina suum perderet alma decus.
 77 Ille Machaoniae cultor celeberrimus artis,
 78 alter et Hippocrates, Pergameusque senex,
 79 occidit, ah ! Suadae periit genuina medulla ;
 80 et Medicina triplex, Floraque dia silet.
 81 Vidimus hiberno Musas frigere Batavas
 82 tempore, doctores nec potuisse loqui :
 83 ridebat ventos, solus ridebat et imbres
 84 Pavius, ardenti pectore membra secans ;
 85 et sceleto parvi monstrans miracula mundi,
 86 daedalaque immensi tot benefacta Dei.
 87 Horruit auditor percussus fulmine linguae,
 88 et convulsa gravi sunt anabathra sono.
 89 Proh dolor ! Hic tantus jacet ossibus additus heros.
 90 Pavius hic flendus, non mihi Pavus erit.
 91 Jam picturatas, avis o Junonia, pennas
 92 collaudent pueri : me graviora decent.
 93 Pavius ad partes veniat, quo se Amstela jactat,
 94 materies chartis aptior illa meis.

IN OBITUM ILLUSTRISSIMI DOMINICI MOLINI, SENATORIS VENETI.

E3_89 v.1 Quid solum Adriacis Neptunum quaeritis undis ?
 2 Certum, hic certantes tres coiisse deos.
 3 Credite divisum, victis Titanibus, orbem :
 4 Hic data germanis credite regna tribus.
 5 Neptuno maris imperium ; tibi cessit Olympus,
 6 Juppiter, Infernas sustulit Orcus aquas.
 7 Nunc grave dissidium, terris cedente Molino ;
 8 et putat hic sortem quisque valere suam.
 9 At ne diripiant fratres, et nobilis umbra
 10 Elysium repetat dilacerata nemus :
 11 protinus admissis Astraea supervenit alis,
 12 atque ait : "Haec nostro lis agitanda foro.
 13 Cum Venetum sine labe decus, sine sordibus ullis
 14 vixerit Erizzi maxima cura sui."
 15 Jam rude donatus, jam vita caelibe caeles
 16 res sibi Summanum jussit habere suas.
 17 Famaque cum volitet toto celeberrima ponto,
 18 sit satis aequoreo gloria tanta Deo.
 19 Gaudeat hac anima caeli regione recepta
 20 Juppiter. Haud frater ludificandus erit.
 21 Hic, tibi cum vitae pernerint fila Sorores,
 22 invenias fratrem, magne Moline, tuum.

EPITAPHIUM ILLUSTRISSIMI VIRI, JOSEPHI SCALIGERI. JUL. CAES. FIL.

E3_90 v.1 Ingenii Proteus, Naturae ingentis imago,

2 discere conatus quidquid in orbo latet,
 3 omnia qui solus sese in miracula posset
 4 vertere, qui quovis quidlibet ore loqui,
 5 dum jacet hic, hospes, terra diffunditur omni
 6 Scaliger, et tumuli victor, ubique jacet,
 7 quod minimum, summos contingens sanguine Reges,
 8 et tot Principibus nunc quoque major avis.
 9 Qui nimium augusti tempus quod viveret aevi
 10 discendo in multas vertit Olympiadas.
 11 Qui terrae impatiens caelum ipsum adscendit, et astra ;
 12 praeveniens fati jura minora sui,
 13 aemulus Alcidae : namque adscribendus Olympo,
 14 hic docuit caelum, quod prius ille tulit.

IN OBITUM FRANCISCI JUNII. THEOL.

E3_91 v.1 Quod si nunc aliquis planctus corradat in unum,
 2 quos habet hic praesens orbis, et alter habet :
 3 attamen exsuperet noster. Proh tristia fata !
 4 Exsequias magno lux parat ista viro.
 5 Ite, mei cives, lacrimis perfundite pectus :
 6 curriteque effusis ante sepulcra comis.
 7 Nempe ille, ah, nempe, ah discessit Junius ille,
 8 o Batavi, vestrum. Qui jubar unus erat.
 9 O tristes casus, o lamentabile fatum !
 10 Numinaque o nostris invidiosa bonis !
 11 Ah quantas nobis lacrimas gemitusque cietis !
 12 Non satis ad luctus una ruina fuit ?
 13 Vixdum compositus gelida Trelcatius urna
 14 ardet in exstructo corpus inane rogo :
 15 Juni etiam cineres nos inspectare jubetis,
 16 lectaque purpureis ossa fovere rosis.
 17 Quaenam istae, o Superi, vibrati fulminis alae,
 18 queis Sacra paene solo corrui icta Domus ?
 19 Certe homines docti sua gaudia rapta queruntur,
 20 Leidaque praeconem non habet orba suum.
 21 Porro municipes, multum amisistis in uno ;
 22 quis negat ? Aut quis non tam manifesta videt ?
 23 Hic poterat gravitate omnes, vitaeque tenore
 24 ducere, jam nostra factus in urbe senex.
 25 Carpocratasque ipsos pessum dare, vincere vero ;
 26 multaque quae nimio Musa dolore tacet.
 27 Quod reliquum est, superanda gravis fortuna serendo est ;
 28 nec suprema potest ire, redire dies.
 29 Sit satis evulsos donasse in funere crines,
 30 osculaque arsuro summa dedisse toro.
 31 Sit satis et magna Manes ter voce vocasse,
 32 et populum rasis indoluisse genis.
 33 Quid quod et hic non fit lacrimarum flumine tanto
 34 flendus, ab excessu cui nova vita venit.
 35 Junius ille, inquam, devicta morte triumphat.
 36 Et propius summo gaudet adesse Deo.
 37 Unum hoc, quod nostros possit lenire dolores,
 38 atque animi tantas tollere dividias.

IN OBITUM JOANNIS POLYANDRI, PARENTANTE FREDERICO SPANHEMIO.

E3_92 v.1 Figitur antiquo Romae sententia clavo,
 2 "Debere stantes Imperatores mori."
 3 Sic noster Polyander obit, qui pluribus annis
 4 rei imperator litterariae fuit.
 5 Ille valens, annosque ferens, et corpore firmo
 6 stabat Lycaeï rector octavum sui.
 7 Stabat, et e cathedra divina oracula fudit ;
 8 sollemnibusque nominalibus vacans
 9 tres simul electos vidit, plaudente Senatu ;
 10 rectorem at ipsum non videre contigit.
 11 Tam cito ferales ruperunt stamina Parcae
 12 Pietati, et ipsi (proh dolor !) Prudentiae.
 13 Stans lecto datus, et, parvo post tempore leto :
 14 stansque Imperator raptus est inter manus.
 15 Heu, Pius, et prudens, stirpis contemptor avitae.
 16 Stans absolutus exiit vitae colos !
 17 At tibi, Spanhemi, manes lessumque paranti
 18 jacet peremptus, Mundi manium satur.
 19 Errasti, bone vir ; contra tua pagina dicet,
 20 oratione nam superstes est sua.

IN FUNUS D. JOANNIS POLYANDRI A KERCKHOVE,
 PRAESSENTIA CELSISSIMI PRINCIPIS GULIELMI AURIACI A NASSAU,
 COHONESTATUM. DIE 17. FEBRUAR. 1646.

E3_93 v.1 Kerckhovii gelidos spectans Academia Manes,
 2 prae nimio visa est obriguisset gelu.
 3 Horrebat vacuis facundia muta cathedris,
 4 errat in adstrictis cum studiosus aquis.
 5 Aut nugas agit, aut fumos emittit in altum
 6 foetidus, exstructos dum bibit ante focos.
 7 Aut chalybem subdens pedibus volat ocior Euro,
 8 miratus longam post sua terga viam.
 9 His pila delictum sub tecto : his pondere clavae
 10 sub dio ad nudi stipitis icta pedem.
 11 Est quoque qui dominae per cymbala captat amorem,
 12 et rhedae argutum sedulus aptat equum.
 13 Hinc sit, ut austeros videas mussare parentes,
 14 cur dentur natis otia tanta suis.
 15 Quaerereque (opprobrium Leydae, totique Lycae)
 16 an doctis essent ora gelata viris.
 17 Palladis ergo domus mutabitur aede Vacunae ?
 18 Strenua prolatis otia rebus erunt ?
 19 Auribus haec placeant convivia sparsa Batavis,
 20 sed culpent tinctum queis sale pectus erit.
 21 Dum licuit, certe Polyandrus obstitit heros,
 22 debita bis quartum qui modo sceptrum tulit.
 23 Heu ! tulit ille suos vigil ad sollemnia fratres
 24 muniaque undantis irrequieta togae,
 25 admonuit, praeiitque, et pubem ad signa vocavit ;
 26 Suadaque ad extremum continuata diem.
 27 HOC duce stante stetit grex atque exercitus omnis ;
 28 atque sua Pallas aegide tuta fuit.
 29 O, si verba senis teneam, queis optimus ille
 30 hortatus comites dicitur esse tuos.

31 Ite alacres : neque in hoc templo plus frigoris esse
 32 credite, quam reliquis : non ibi praeco silet.
 33 Conventusque frequens ad Caeli oracula fertur :
 34 dedecus ad Musas igne minore rapi.
 35 Me residem excivit, fateor ; pulsoque veterno
 36 impulit ad notos cogere verba pedes.
 37 Tempestate hiemis, linguam sensi ipse gelatam ;
 38 fusaque cum lacrimis vix tria verba meis.
 39 Nimirum pietas me Wevelichovia movit,
 40 quae vatem nullo frigore pafsa peti.
 41 Altera me pictas nunc excitat. Occidit, (eheu !)
 42 Occidit Hollandi gloria prima soli.
 43 Ipse a quo Pietas pietatem discere posset ;
 44 ipseque Mars sanctae commoda Pacis amet.
 45 Mense licet Martis, cum jam saeviret Enyo,
 46 natus, Pacifici nomine dignus erat.
 47 Ni pater ipse suo voluisset nomine dici,
 48 qui jam Kerckhovios dissimularat avos.
 49 Indole de rara Spanhemi Suada loquatur,
 50 tristis et Heidani Calliopea sui.
 51 Innumerique alii funebria carmina cantent ;
 52 vix erit ad luctum Pieris ulla meum.
 53 Et dominum Henulietae forsitan querimonia longa
 54 turbet, et haeredes occupet ista lues.
 55 Nec puto Arausini violandas Principis aures,
 56 nec mea in illustres digna venire manus.
 57 Adventu, Gulielme, tuo, comitumque tuorum,
 58 structa ab avo tanto, nunc rediviva domus.
 59 Musarum domus haec, docti incunabula mundi,
 60 qui, Gulielme, tuo tot bona debet avo.
 61 Debet et heroi Dousae, qui civica bella
 62 et Patriae cecinit funera maesta suae,
 63 Lugduniquae famem, quaeque ipse miserrima passus
 64 obsidia, et quorum pars quoque magna fuit :
 65 sperneret intentum jugulo dum fortiter ensem,
 66 et daret in longam Spanica signa fugam.
 67 Ille novem Musas ipso ex Helicone redemit
 68 sanguine. Libertas civibus inde venit.
 69 Principis indultu, doctae largita coronae
 70 praemia, quae mensis invidet ipse suis.
 71 Vestrum opus egregium spectare licebit avorum ;
 72 Tu, Gulielme, tui, tu, Wigebolde tui.
 73 Miremur versus isto sub cardine nasci !
 74 Miremur promptas ad pia vota manus !
 75 Miremur mutos nunc protinus esse loquaces,
 76 et nihil in tota frigoris esse domo !
 77 Solvere scis vincetas, Princeps suavissime, linguas ;
 78 scisque meum radiis os regelare tuis.
 79 De media vel nocte veni : quod in aethere Titan,
 80 in terris nobis hoc Gulielmus erit.

EPITAPHIUM TRIUM PRAESTANTISSIMORUM VIRORUM,
 ARSENI, BROUCHOVII, ET FESTI.

E3_94 v.1 Leyda Patrem Patriae feralibus addidit umbris
 2 Brouchovium, Arsenio junctus et ille suo.
 3 Orba dolet tanto titubans Ecclesia damno.

4 Hei mihi, quid faciet nunc ubi Festus obit ?
 5 Festus, amor Populi, dum vixit, gratus utrique.
 6 Nec fuerit sanctis gratior umbra viris.
 7 Sed bene compositae licet haec sit gloria trigae,
 8 inter siderios conspicienda choros,
 9 tam propugnantis Respublica Belgica linguae,
 10 Suadae et consilii tam sapientis eget.

EPITAPHIUM ANNAE ROMULAE, CELEBERRIMAE MATRONAE.

E3_95 v.1 Cum primum decimae dignata est nomine Musae
 2 Romula, proh ! quanto tunc in honore fuit.
 3 Tunc juvenes anni nostris placuere poetis,
 4 cultaque pro dominis ter tribus una dea est.
 5 Si festinatis tunc, acta sine ordine pensis
 6 obruta lethaeis Anna fuisset aquis ;
 7 omnes invidiam clament, crimenque Deorum,
 8 infestasque bonis artibus esse manus,
 9 virginis exsequias planctus lacrimaeque sequantur ;
 10 10 tristiaque heu ! Nullo carmina fine legas.
 11 11 Nunc si se nubat foliis Elegia cypressi,
 12 12 quid flet, extincti quid nisi floris anum ?
 13 13 Paucula cujus habes nostrate poemata cultu,
 14 14 otiaque, artificem quae decuere manum :
 15 15 vix adamas tanti est, quanti sculptura Batavae
 16 16 Virginis, et melior fit sapor inde mero.
 17 17 Auribus hinc jactura levis facilisque Batavis,
 18 18 Schurmannam poterunt si retinere suam.
 19 19 Haec legit Ausoniae, Graiaequae poemata linguae,
 20 20 condit et arcano quae facit ipsa sinu.
 21 21 Cedo loco (memini) dixit Romanus Apollo :
 22 22 indignata sequi, maluit Anna mori.

DE EADEM ROMULA.

E3_96 v.1 Gloria quae Plauti fuerat, tibi, Romula, cessit,
 2 officio docti, iudicioque viri ;
 3 namque novem tantum cum nosset Apollo Sorores
 4 Phasidos, invenit, te veniente, decem.
 5 Haereat hic aliquis forsitan, dubitetque, rogetque,
 6 Heinsia num certam spondeat urna fidem ?
 7 Crediderim dictis, modo si Romanus Apollo
 8 coeperit exemplo Belgicus esse tuo,
 9 vel fateare Deum, vel ter tria Numina mores
 10 10 aut didicisse tuos, vel docuisse suos.

IN OBITUM CL. V. PETRI CUNAEI.

PROSOPOPOEIA ACADEMIAE, AD MANES AELII EVERARDI VORSTII, PATRIS.

E3_97 v.1 Post bene pollinctos cineres, laudataque lesso
 2 funera, si quis adhuc in scrobe sensus erit,
 3 o nostrum quondam, Vorsti, decus, excute nubem,
 4 oraque sint nullo jam temerata situ.
 5 Excipe Phoebaeos, queis nos spoliatur, honores ;
 6 pro quibus aeternae taedia noctis erunt.

7 Quot noctes nox una tulit ! Nisi pauca supersint
 8 sidera, jam toto nullus in orbe dies.
 9 Hoc age : cunaeum crudeli funere raptum
 10 excipe, praeconem flebilis umbra tuum.
 11 Fata per Elysios recinens immitia campos
 12 jam tecum poterit trans Acheronta vehi.
 13 Haud tuus ingrati macula spargetur Adolfus :
 14 hic dabit extincto quod dedit ille tibi.
 15 Depositumque sacrum reddet feralibus Umbris ;
 16 justaque supremis et pia verba rogis.
 17 In jus non fallax, non inficiator iturus :
 18 sponte vel ad nutus advolet ipse meos.
 19 Egregiae pietatis opus ! Nunc debita solvit
 20 munera, et in Stygiis nomina delet aquis.
 21 Cum vellent alii, possentque, epicedia patres,
 22 non haec laus ipsi praeripienda fuit.
 23 Aes vetus expungat : conjunctum laudet amicum,
 24 et propius notum per tria lustra virum.
 25 Laudet, et illustres radios in Tartara mittat.
 26 Hinc speranda dies, et medicina fuit.
 27 Qualiscumque quidem crudo medicina dolori :
 28 sed nondum terso reddidit ore diem.
 29 Aurea nunc demum ad superos Astraea recessit ;
 30 totaque nunc tenebris gens adoperta sumus.
 31 Phosphore, dic viduae fax unde petenda cathedrae.
 32 Adlucesne aliquam, Phosphore tarde, facem ?
 33 Debeo Vorstidae solacia, debeo grates :
 34 inferior damno sed medicina meo.

II. DE ADOLFO VORSTIO AEL. EV. FIL. PARENTANTE, ET ABSENTIA AUCTORIS.

E3_98 v.1 Post tantum Batavis inflictum vulnus Athenis,
 2 cunaeo sanctam destituente Themin,
 3 debitor officii celebris se commovet ultro
 4 Vorstius, et Suadae praeparat arma suae.
 5 Quidquid habent linguae facundi scrinia Tulli,
 6 spiculaque e bifidi fonte petita jugi,
 7 colligit invidiam contra crimenque deorum ;
 8 debuit haud tantum queis licuisse nefas,
 9 quod Themidi interitum Musisque exsuscitet ipsis,
 10 multaque ob hunc unum nata querela virum.
 11 Et Bredana dolens Boxhornius inspicit acta :
 12 inspicit, heu ! lacrimis facta minora suis.
 13 Tot foedis maculata notis, tot hiulca lituris.
 14 Diffluit, ah ! Madidis Bredais ipsa genis.
 15 Exsequias Proceres, consternatusque Senatus,
 16 et, quibus ex isto vulnere vulnus, eant.
 17 Parcite sed molles animae, nec Stoica doctae
 18 dogmata, flebilibus vos cruciare modis.
 19 Quid, rogo, plorantes facturi funera fletu
 20 alterius cupiant et sua fata queri ?
 21 Quid festinatis incidere stamina fuis ?
 22 Ah ! satis est unam sustinuisse necem.
 23 Sufficit hoc unum Patriae irreparabile damnum,
 24 nec vacat ad plagas Palladis ara novas.
 25 Perculsos equidem nolim renovare dolorem,
 26 et pandi latas ad nova damna vias.

27 Ecquis erit, qui me volet accusare, quod absim ?
 28 Num decuit vitae consuluisse meae ?
 29 Cum primum Batavas haec mors vulgata per oras,
 30 coepimus exanimes corde micante quati.
 31 Et simul attonito percussa est sidere lingua :
 32 prae lacrimis potuit nec mea Musa loqui.
 33 Humano generi praecordia mollia Titan
 34 finxit, et ad planctus ingeniosa suos.
 35 Flevimus : utque aliquis lacrimis modus esset obortis,
 36 nostrum ex funesta movimus urbe pedem.
 37 Maluimus fumos alibi quam cernere funus,
 38 membraque in arsuros injicienda rogos.
 39 Ne pius et nostras Orator vulneret aures,
 40 cavimus. Hei ! Tantis questibus impar eram.
 41 Sic renovet luctus : sic unguis in ulcere semper :
 42 nec leve sic fiat, quod tolerare grave est.
 43 Dividiae est, alium recitantem audire, sodali :
 44 occidit teneros mentio sola viros.
 45 Hinc mihi praescriptas verito contemnere leges
 46 leniter aversas abstulit Haga faces ?
 47 Feralemque diem. Se parvus inunxit olivo
 48 Persius, et tincto lumine lippus erat,
 49 discere cum nollet morituri verba Catonis.
 50 Hic de defuncto quomodo verba feram ?
 51 Quomodo ? Si cernam foribus pendere cupressum,
 52 si feriant oculos atria pulla meos.
 53 Occurrat laceris si Zeistia maesta capillis ;
 54 hei mihi, cum natis sola relicta suis.
 55 Jam, si promissos deserta queratur amores,
 56 optet et infelix cum moriente mori.
 57 Vincula si memoret, quae quondam pronuba Juno
 58 dixerat haud ullo dissoluenda die.
 59 Zeistia, quid narras ? Vera haec, dum vita manebit :
 60 dissicit hoc pactum de tribus una soror.
 61 Vivere concordis, fideique exempla daturus,
 62 ipso connubii tempore suasit Hymen.
 63 Atque ita vixistis. Non viti stringitur ulmus
 64 artius, aut hederis robora vincta suis.
 65 Nobile par cesto, dum Fata Deusque sinebant :
 66 et placet in medio funeris igne fides.
 67 Sed petere exemplum tostis prohibemur ab Indis,
 68 femina cum structos insilit ipsa rogos.
 69 Nec facit ad nostros cum Bruto Porcia mores,
 70 insolita carum morte secuta virum.
 71 Permissum nulli Parcarum extendere fila :
 72 nulli fas vitae praecipitare colos.
 73 Quod nos ferre jubent grassantia Fata, ferendum ;
 74 ante nec extremum mors properanda diem.

III. CORONIS, AD ADOLFUM VORSTIUM.

E3_99 v.1 Manibus haec sanctis, haec pro me, candide Vorsti,
 2 quem potes absentes inter habere tuos.
 3 Inter et exiguis obnoxia pectora nimbis.
 4 Et quae vel minimo fulmine tacta cadant,
 5 aut lacrimis, instar Niobes, lapidescere possint,
 6 et se tormento non meminere pares.

7 At nunc marmoreus, tibi nunc vel plumbeus adstem,
 8 nulla cui in toto pectore mica salis,
 9 si non luctificam mediter post funera Musam,
 10 cunaei aut possim dememinisse mei ;
 11 morte recollecta, paulumque dolore remisso,
 12 cum redeunt trepidis ora negata viris.
 13 O, si Barlaicos efferret tibia cantus !
 14 Gratius hoc ipsis Manibus esset opus.
 15 Sed cubat, antiquis non inferiora secutus ;
 16 fors an et haec magnum sustulit hora virum.
 17 Di, prohibete nefas, cognataque respuat urna.
 18 Cognatum celebret ; nec velit illa sequi.
 19 Si mihi non temere tot pulvinaribus aucta
 20 numina, si placui lacte meroque deis,
 21 et tot adoratas jacui projectus ad aras ;
 22 et damnas voti relligione sui ;
 23 rideat hos salvus, qui votis omnibus optant
 24 jungi cognato tot bona juncta suo.
 25 Rideat, aegrotos nil praeter somnia posse :
 26 rideat hoc vatis, sed properantis, opus.
 27 Namque alio trahimur. Patriis incumbere Fastis,
 28 et dare Cattigenis otia, suadet amor ;
 29 et Veri studium. Tamen hoc in marmore carmen
 30 Lugduni poterit, me praeunte, legi :
 31 "Oceanus juris, terra Oceanitide natus,
 32 hoc sua cunaeus condidit ossa loco.
 33 Ille Palaestinae perfusus nectare linguae,
 34 Helladis, et Latio non semel ore potens.
 35 Cum jam cunctarum percepta scientia legum,
 36 restabat, leges discere parca tuas."

EJUSDEM COROLLARIUM SUB MANU, NATUM, SUPERIORIBUS ADDENDUM.

E3_100 v.1 Quisquis Ulysseos appellis navita portus,
 2 credis et heroa moenia structa manu ;
 3 somnia, et antiquas vulgi dediscere nugas,
 4 natalesque novos discere, tempus erit.
 5 A Wilibrordina nec origo petenda lagena :
 6 quantumvis Ithaco certior illa fides.
 7 Accipe nobilibus surgentia moenia cunis :
 8 ista Cunaeus crevit in urbe puer.
 9 Hanc tenero pede pressit humum : sed Walchria Musis
 10 imbuit, et sacris Pallados ara suis.
 11 Leydaque Banchemias (te, Zeistia, dante) corollas
 12 imposuit meritis devenerata comis.
 13 Cunaem dixi ; simul omnia maxima dixi ;
 14 famaemque aeternis nomina fixa tholis.
 15 Ingenium, mores, et cetera cuncta stupenda ;
 16 quique Modestini nomine dignus erat.
 17 Scaevola ni fuerit, jurisque peritus Apollo :
 18 rarus et Hebraeo regnet in ore sonus.
 19 Haec, hospes, quoscumque petent tua carbasa portus,
 20 de Flissingano cive referre potes.
 21 Adde, quod huic urbi Nassavius imperet heros,
 22 iste sago magnus, magnus ut ille toga.
 23 Aequales annis, sed Achilles alter, et alter
 24 aptus Homeriaca proelia flare tuba.

25 Invidit Lachesis, Cunaemque addidit Umbris ;
 26 inclytaque (heu !) tenebris obruit orsa suis.
 27 Praecessit : ne si Dux se quoque misceat umbris,
 28 rumpat et (o sero !) stamina Parca nocens,
 29 non esset celsi memoret qui Principis acta,
 30 gestaque per populos trans Acheronta vehat.
 31 Talia transscribi cum nomina cernimus Orco,
 32 jus etiam in summos Styx habet atra duces.

IN VULGI FABULAM.

E3_101 v.1 Cum tener exiguis dormiret pusio cunis,
 2 mollia prostravit se super ora canis.
 3 Sicque datus leto, qui somno traditus infans,
 4 in querulos matrem jussit abire modos.
 5 At dignas tanto persolvit crimine poenas
 6 saeva canis, vincto gutture fixa cruci.
 7 Quos decet esse hominum, te Leida o praeside, mores,
 8 quae cupis ingenium mitius esse feris !

IN FORTITUDINEM BATAVICARUM FEMINARUM ; UBI DE KANAVIA.

E3_102 v.1 Armatas Batavas cum cerneret umbra Platonis,
 2 "Unde (ait) haec virtus, pro Patriaque fides ?
 3 Civibus hisce mihi staret Respublica, nullum
 4 in cunctis paterer civibus esse virum."

AD RHADAMANTHUM.

E3_103 v.1 Lenierat torvum culto sermone Charontem
 2 Baudius, infernis dum veheretur aquis,
 3 annueratque illi, per se non stare professus.
 4 Et dimissurus, si licuisset, erat.
 5 "Quid faceret ? Sistens Rhadamantho : "Portitor, inquit,
 6 audi hominem , et flecti te patiari, rogo."
 7 Flexanima iudex captus dulcedine vocis,
 8 praecipit illicitas hunc remeare vias.
 9 Sed duo mandantur misero praestanda marito,
 10 o medicina gravis ! Unda bibenda viro est ;
 11 et conjux repetenda prior : "Sitiatque, bibatque,
 12 quantumcumque volet , non prohibentur aquae,
 13 sed vetitus liquor ille dei, qui subdidit Indos."
 14 Figit et incertos unde poeta pedes.
 15 Altera crux : tota Galla Tanaquile fruatur.
 16 Sed tamen a cara conjuge languor eat ;
 17 multivola ne mente novos suspiret Amores.
 18 Hac iterum in lucem lege redire potest.
 19 Jamque in vitales rediisset Baudius oras ;
 20 praeferret fumos ni, Rhadamanthe, tuos.

V. CL. JOHANNIS HEURNII, BAT. EPITAPHIUM,
 DOCTISSIMORUMQUE E SCRIPTORUM EJUS COMMENDATIO.

E3_104 v.1 Rhene pater, nosti quae totam fama per urbem

2 ambulet, et Leidae quis sit ubique dolor :
 3 ilicet ille obiit nostri Podalirius aevi,
 4 Heurnius, o quantum est Atropos ausa nefas !
 5 Ah scelus ! ah facinus ! confusi fabula vulgi est,
 6 nec satis est vitae de brevitae queri.
 7 Adjicit et diras ; nimiumque severa fuisse
 8 numina vult, tantam quae rapuere virum.
 9 Illaque praescripto procedunt ordine Fata,
 10 Fata quibus nequeas opposuisse manum.
 11 Improbe, quin cessas ? Abiit quo Tullus et Ancus,
 12 Heurnius ; has, hospes, ibis et ipse vias.
 13 Improbe quin cessas ? Vivit Podalirius ille ,
 14 vivit qua voluit vivere parte magis.
 15 Multa etenim monumenta vides, methodumque medendi,
 16 et de peste vides, Hippocratemque novum.
 17 Mox ille asseruit caput, et nunc munere nati
 18 partem aliam magni corporis ipse vides ;
 19 "Hoc (inquam) pectus, quaeque illi proxima cernis.
 20 I nunc, et tantum dic periisse Virum.

EPITAPHIUM AMPLI. ET CLARISS. VIRI, NICOLAI BULII, PRAETORIS HORNANI.

E3_105 v.1 Simichidae calamos, lituosque ingentis Homeri
 2 quaeritis ? Hornana contumulantur humo.
 3 Qua tegitur Buli praetoris nobile corpus,
 4 heroum recubat mixtus uterque cinis.
 5 Non procul hinc sacra jacet Hogebertius urna,
 6 aemulus indomiti qui Ciceronis erat.
 7 Junius, Horna, tuus si juxta conditus esset,
 8 non foret hac ullus clarior aede locus.

EPITAPHIUM PETRI SCRIVERII,
 COMPOSITUM AB SE IPSO, DUODECIMO JANUARI 1652.

E3_106 v.1 Non anni, aut aetas, sed pessima tempora lassant,
 2 area cum vitae tertia trita meae.
 3 Plus quoque sex annis augenda decennia septem
 4 indicat haec Jani bis mihi sexta dies.
 5 O mea fata ! satis poteram vixisse videri,
 6 addita si libris ultima lima meis.
 7 Hollandos Comites si prima ab origine ductos
 8 fine coronassem, magne Philippe, tuo.
 9 Plurima nunc foedis squalent analecta lituris,
 10 singula Principibus subjicienda suis.
 11 Dulce mihi studium veri, dulcesque Camenae,
 12 quas defioculus, quas quoque caecus amo.
 13 Sed valeant libri ; potior meditatio Christi est :
 14 hinc speranda dies. Cetera noctis erunt.
 15 Quot scelera his annis patrata, piacula rara
 16 vidimus, offenso per genus omne Deo !
 17 At jam non belli Belgis Harpyia molesta est,
 18 et pax post longas conciliata moras.
 19 Sed quia vita dolis, quia vita assueta rapinis,
 20 vivitur ex rapto nunc quoque, Vita, Vale.
 21 Ille quietis amans, nulli gravis, ergo quiescat ;
 22 molliter hic cineres mando jacere meos.

PAULUS TERHAARIUS, AMSTELODAMAEUS,
IN OBITUM JOANNIS ERPENII, THOMAE FILII.

E3_107 v.1 Dum fleat Erpenii defuncti in funere Leida,
2 et gerat in vultu publica signa dolor,
3 cum videas maestos Proceres non unius urbis,
4 cumque gemant Mystae, quot coluere Themis,
5 nec modo non vario plebs compleat obvia luctu,
6 quemlibet urbe locum, quamlibet urbe domum,
7 me juvat, heu ! tristes flendi quoque sumere partes ;
8 vatem cumque piis omnibus esse pius.
9 Nam pius usque fuit, dum vitam finiit, in me :
10 nec minus in cunctos, hei ! pius ille fuit.
11 Sed quibus expromam lacrimis, qua voce dolores ?
12 Dene via raucus tristia fata querar ?
13 Non ego gesticulans Mimus, neque praefica turpis,
14 nenia lugubri cujus ab ore sonat.
15 Non etiam possim calamos inflare canoros,
16 sive tuba Phrygios concinuisse modos.
17 Me juvat ad cineres luctum elugere sodalis,
18 ut fit amarities cordis acerba magis.
19 Dicitur extinctum deploraturus Orestem,
20 in lacrimas solvi non potuisse Polus ;
21 mox tamen ad bustum vero maduisse liquore,
22 mortua cum gnati cerneret ossa pater.
23 Et tumulum cumulum lacrimarum pono mearum :
24 et cumulus, tumulus denique forte meus !
25 Quod si contigerit, mea servet carmina cippus :
26 qui pluat in cineres, saxaque rore cavet.
27 "Surreptum viduae matri vi mortis iniquae,
28 haec Erpeniadem continet urna meum.
29 Deliciae themidos, Phoebique, novemque Sororum ;
30 corque trium Charitum ; patris ocellus erat,
31 a quo virtutum factus dignissimus haeres ;
32 non magno vixit laude parente minor.
33 Ceperat Hollandae celebrari syndicus urbis ;
34 sed caeli civem maluit esse Deus."

EPITAPHIUM HADRIANI BERKELII, MEDICI.
AD LEYTHIN, OPTIMI VIR, ET INNOCENTISSIMAE ANIMAE PATRIAM.

E3_108 v.1 Dordirectum, ducente Deo, Berckelius exit :
2 haec luis, haec diri, Leythis, arena mali.
3 Vastities jam rara domi : "Me Merweda poscit :
4 hic fuga, et affectis ipse medebor", ait.
5 Sanat, et infesta tandem contage laborat,
6 et cadit, externa contumulatus humo.
7 Haud alibi melius Pietas, Doctrinaque rara,
8 vel potuere mori, vel potuere tegi.

VIVI HOMINIS SEPULTURA, SIVE EXSEQUIAE JOHANNIS VERSTRATEN,
IN MUSEO SUO MISERE COMBUSTI.

E3_109 v.1 Octophoro ferri quae conspicis ossa, viator,
2 humana condi lege jubentur humo ;
3 et patrii suadent mores, pictasque : sed ista
4 pompa supervacua est, et ruiturus honos.
5 Haec Leythis si Roma foret, si Martia Tiberis
6 splendeat, et nullo Rhenus honore fluat :
7 tristibus impensis potuissent parcere fratres,
8 et niger exstructis ustor abesse rogis.
9 Hoc quodcumque vides, non est, pia turba, cadaver ;
10 bustum est, et digitis quinque levetur onus.
11 Non decet elatos efferrī funere Manes ;
12 non decet : ad cineres sufficit urna brevis.
13 Si nescis, sepelit Romano more sepultum
14 Leythis, ad inversas officiosa faces.
15 Stratius arsuro circumvestitus amictu
16 occidit, Herculea missus in astra via.
17 Occidit, apposita juvenem fallente lucerna,
18 membraque cui nimio victa sopore jacent.
19 Nocturnis quicumque voles incumbere chartis ;
20 plus vigila, et lychni sit tibi cura tui.
21 Hei ! Fuit in fatis. Sic duplice sindone tectus
22 flebilis ustorem postulat umbra suum.
23 Res peregrina meis et non audita Batavis,
24 corpora funestos viva subire rogos.
25 Hic, licet, excutiat peregrinum Zuerius Orcum :
26 nulla potest fingi res peregrina magis.

EPITAPHIUM ISABELLAE ROUSSELLIAE,
CONJUGIS JOANNIS WEVELICHOVII, J.C. SYNDICI LEIDENSIS,

E3_110 v.1 Viderat infectos, pia Wevelichovia mores,
2 nec caelum zeli quo decet igne coli ;
3 perpetuumque nihil ; fatales ordine Parcas
4 scilicet adscriptas unicuique suas :
5 felix, infelix, geminosque experta dolores,
6 cum pareret, prolem cum tumularet humo ;
7 "Tanti, ait, (heu ! maesto multum obluctante marito)
8 dulcacidiae sortis gaudia nulla mihi ;
9 quaesivitque suum pietas obnoxia Christum.
10 Haec potuit Mundo, non tibi, Christe, mori."

AD ANGELUM MERULAM, CONSTANTISSIMUM, ET INDOMABILEM VERITATIS TESTEM.

E3_111 v.1 Belgica dum spissa caligine mersa jaceret,
2 et meus in multa nocte Batavus erat ;
3 dum Matri defert, quos Nato debet, honores,
4 caecaque gens diva Virgine plena furit ;
5 dum petit a trunco, quod in ipso quaerere caelo
6 par erat ; hei ! passim dum simulacra colit ;
7 dum sentire aliquid Sanctos post funera credit,
8 et cineres demens ossaque sparsa legit ;

9 affanasque alias, Jove dispensante Latino,
 10 in pretio plebes, ipseque praetor habet :
 11 risit et indoluit tua, Christe, Ecclesia. Quidni ?
 12 Ut risus, sic res plena doloris erat.
 13 Risit stultitiam, spectaculaque ludicra ; sed te
 14 indoluit nullo laudis honore coli.
 15 Qui tamen hos mores, tam pravos, tamque pudendos,
 16 ausit in apricum ducere, rarus erat :
 17 exstitit Heenulietae, (sed non sine Numine) cui mens
 18 sana sub afflicto corpore clusa fuit ;
 19 exstitit, inquam, heros, seu dici ipse Angelus optet,
 20 qui coleret cultu sub potiore Deum.
 21 Qui Satanae vafras eludere nosceret artes,
 22 posset et errores, Roma, notare tuos.
 23 Jam gravis, et senior fugiens pappare minutim,
 24 et bullas collo sustinuisse suo.
 25 Non veritus populum celsa de sede docere,
 26 posse nihil sanctos, omnia posse Deum.
 27 Macte senex virtute ista : sic ibis in aevum,
 28 longaque vox famae perpetuantis eris.
 29 Si qua tibi tristem dederit fortuna reatum ;
 30 delatorque aliquis coeperit esse loquax :
 31 perfer. Neu quidquam Fernandi insania turbet.
 32 Aut quod Petrina fulmen ab arce venit.
 33 Sonnius hinc letum tibi, Tapperus inde minetur ;
 34 ut trahat in partes ille, vel ille suas :
 35 expediant boias, et Iberi vincula sparti,
 36 nec stillans desit pingue, nec ignis edax.
 37 Et lictor sarmenta ferat, ferat ipse catastam
 38 tortor, et infamem tollat in astra crucem.
 39 Ne te, ne moveat consponsa haec factio. Talis,
 40 caelicolarum hospes, si moriaris, eris.
 41 Namque aliqua in corpus dabitur fortasse potestas,
 42 ipsam animam Christo praeripuisse nefas.
 43 Felix, bis felix, quem nulla pericula terrent !
 44 Dum sibi praesentem credit adesse Deum,
 45 qui dolet, et poenas alieno in corpore sentit,
 46 flammatosque sacrae frondis honore beat.
 47 O quis non ista contingi posse corona
 48 optet, et emeritus miles in astra vehi !
 49 Persta igitur, fideique tenax, non carceris umbras,
 50 non Vaticani fulmen inane Dei ;
 51 non Sacrum Officium, taetrumque horresce Tyrannum,
 52 illaque in exitium busta parata tuum.
 53 Invictus sis usque, Pater, gravibusque procellis
 54 altior ; in magnum nomen abire velis.
 55 Hoc age, daque virum constanti mente ; nec umquam
 56 velle sit a Domino te dare vela tuo.
 57 Hoc faciant alii sub iniqua lege gementes,
 58 indocilesque alma pro pietate mori.
 59 Tu sanctae collega Crucis, tu portio Christi,
 60 Angelus in caelo es, nil ubi flere potes.

CARMEN JUVENILE SUPER IMMATURO OBITU GEORGII BENEDICTI, HARLEMENSIS.

E3_112 v.1 "Musae immortales non dant mortalibus aevum
 2 immortale ; docet mors, benedicte, tua."

3 Te quoque doctorum e coetu florentibus annis
4 abripuit saeva Parca maligna manu.
5 Optimus, heu ! vita, doctrinaque optimus, ille
6 occidit, atque ut flos sostitialis abit.
7 Quicumque instinctu divino excelsior exstat,
8 protinus hunc morbi vis inimica premit,
9 jucundasque auras vitae deponere cogit ;
10 transfertque in censum trux Libitina suum.
11 Sed nec strage una contenta est ista tyrannis,
12 quae nova cottidie funera dira parat.
13 Eheu ! Quot nostro, quot patrum sustulit aevo.
14 Ad verum cordi queis fuit ire decus !
15 Vitae in flore suae cadit Angelus ille politus,
16 inque ipso vitae flore Secundus obit.
17 Cessit et hinc fato primo Gulielmius aevo,
18 atque alii, quos nec pagina nostra capit.
19 Sublimes animae caelo debentur, origo
20 unde fuit. Mullos carnificina manet.
21 Non vos, qui sancte et pure vixistis in omni
22 tempore : dant vobis mattya lauta Deae.
23 Tuque etiam hos inter lingis tuceta, Georgi,
24 et modo vina bibis de meliore nota.
25 Fati ergo sortem firmata mente feramus :
26 ite procul lacrimae, tristitiaequae procul.
27 Scilicet haec verax sententia dia Menandri,
28 "Quem dii amant, juvenem mors inopina rapit."
